



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES



STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES



ANALECTA TACITEA

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN

lit. hum. dr. in Univ. Lugd. Bat. Prof. Ord.



LUGDUNI BATAVORUM

E. J. BRILL.

1905

104

PA 6716

H 32

C067E


TYPIS E. J. BRILL.

VIRIS DOCTISSIMIS AMICISSIMIS

I. H. HOLWERDA, H. M. LEOPOLD, I. VÜRTHEIM,
W. C. K. CAPEL, I. W. A. DE HOEST, I. G. VAN
PESCH, W. M. DE VISSER,
C. ALBERS, L. RANK, H. D. VERDAM,
H. BOSSCHER, A. RUTGERS VAN DER LOEFF, K. SNEY-
DERS DE VOGEL, W. WERFF,
W. F. KAISER, G. PIEPERS,
I. VAN VLIET, P. C. PELTENBURG,

sociis fidelibus, adiutoribus strenuis, censoribus prudentibus
hic liber
monimentum laboris una peracti et
vinculum perpetuae amicitiae
esto.

Lugduni Batavorum mense Octobri A. MDCCCXV.



I.

Eduardus Wölfflin, cum per longam annorum seriem doctissimis ingeniosissimisque ad Tacitum annotationibus praeclare iam de nostra arte meritus esset, hoc ipso anno splendidam atque insperatam huic scriptori attulit lucem et sic ab iis, qui Tacitum legunt, incubonem quendam, quo nimis diu opprimebantur, fugavit demonstrando Plutarchum in vitis Galbae et Othonis scribendis Tacito auctore usum ¹⁾).

Rideat hic forsán Pulfennius ingens et „praeclarum, hercle“, exclamet „inventum, tantisque laudibus dignum! Quasi vero quidquam nostra scire intersit uter utrum exscripserit. Quodsi vetustae illae chartae, id quod dubitamus, omnino dignae sunt quae legantur, res inde discamus et facta, cetera ne curemus! Contenti esse possunt et Tacitus et Plutarchus si nostra aetas legere eos dignatur“.

At qui in hisce studiis vitae posuit tabernacula longe aliter se rem habere expertus novit. Quamdiu enim regnavit opinio, quam nunc denique refutavit Woelfflinius; incredibilem quandam rem pro vera accipere cogebamur, qua tandem aliquando nos liberatos satis gaudere non possumus. Et *regnavit* illa: propugnatores enim habuit viros summa praeditos auctoritate, quorum imperiosa decreta philologorum vulgus tanto affecerant terrore metuque ut hiscere auderet

¹⁾ In „Sitzungsberichten der philos.-philol. und der histor. Classe der kgl. bayer. Academie der Wissenschaften 1901 Heft I“.

nemo. Quae res quomodo se habuerit paucis narrare iuvat.

Tacitus et Plutarchus in enarranda Galbae Othonisque historia permulta habent communia, non solum — id quod vix dicere opus — res factaque, sed etiam rerum narratarum dispositionem, orationis lumina, sententias et quid non? Hic si nobis licuisset sumere id quod sponte se offert — vitarum scriptorem ex historiis hausisse — incommodi nihil fuisset. At id ipsum severissima lege sumere vetabamur, quae gravissimas minabatur poenas: nisi stulti stolidique et in republica literarum hospites dici vellemus, persuasum nobis esse debebat *e communi* fonte hausisse ét historicum ét biographum.

Ita de Plutarchi quidem laudibus nihil demebatur: quamvis enim multa sumpsisset ab alio, suus ei perstabat honor: quae alibi in continua aliqua historia invenerat ad Galbam et Othonem pertinentia, ea excerpta sic digesserat, sic adornaverat, sic proposuerat ut iustae evaderent Vitae, eleganter perscriptae: artifex ergo erat putandus qui honesto liberalique labore laudabiliter esset perfunctus.

At misero Tacito nihil restabat quod proprium haberet suumque. Aliunde erat mutuatus cum rebus verba, cum verbis elocutionem, cum elocutione lumina et ornamenta. Non artifex erat sed operarius, non scriptor sed librarius, non liber homo sed servus. Neque unquam, quamdiu scripsit, se vindicavit in libertatem. Non enim in Historiis solum occurrunt ea quae Tacito communia sunt cum Plutarcho, sed etiam in *ultima parte Annalium* eiusmodi aliquid invenitur¹⁾. Ergo ab eo inde tempore cum primum animum ad scribendum appulit, usque ad illud quo ingens suum absolvit opus describere poterat . . . altius non sapiebat.

„Crede, non quidem *quia* absurdum sed *quamvis* tibi absur-

1) Ann. XV, 72 coll. cum Plut. Galb. c. 9.

dum videatur” sic edicebant viri docti, penes quos summum imperium esse videbatur: „habemus enim id quod quemquam quidquam suo arbitratu vel facere vel opinari vetabit, habemus — o meliora tandem discere incipe quisquis tuo tibi standum iudicio putas — LEGEM!” Iam illo *legis* audito vocabulo quis non

*μέγαν ὄκνον ἔχει καὶ πεφόβηται
Φήνης ὡς ὄμμα πελειᾶς?*

Ergo ἔπτηξαν πάντες.

Nam hercle dura erat illa Nisseni lex cui parendum erat. „Apud antiquos si quis scribebat quod scriptum iam erat ab alio, nihil ille mutabat, sed quod invenerat, ita ut invenerat, in suum transferebat librum”. Adversus sapientiam illam caelestem

Primus Gallus homo mortales tendere contra

Est oculos ausus primusque obsistere contra.

Anno enim 1895 Gaston Boissier *δ πάνυ* diario c. t. „Journal des Savants” p. 403 sqq. disputationem inserendam curavit inscriptam „les sources de Tacite”, qua lepide salseque demonstravit eiusmodi legem, si „stricto sensu” sit accipienda, nunquam usquam valuisse, si liberius sit interpretanda, omnium fuisse populorum aetatumque omnium.

„Nunc demum redit animus” et quamquam primo tempore postquam hanc facem extulit Boissier, nondum in clara versabamur luce, tamen iam paulo melius quam antea singula discernimus, sensimque intelligimus quantum in lege Nisseni et in opinione illa de Tacito fideliter auctores exscribente ridiculi sit atque absurdi. Unum dabo exemplum, quo nihil ad significandum quid censeam aptius videatur.

Tacitus (H. I, 74) narrat aliquamdiu Othonem inter et Vitellium fuisse quoddam de pace componenda literarum commercium, quod tamen paci obfuit magis quam profuit, nam „mox” (ipsius haec Taciti verba sunt)

„mox quasi rixantes supra ac flagitia invicem obiectavere, neuter falso”.

Neuter falso. Nonne mordax hoc dictum, nonne acre et acerbum, nonne denique vere Taciteum? „Nolite credere” lictores monent Nisseniani „nolite hic vel Taciti vel cuiusquam „liberum” agnoscere „arbitrium”. Nam sic se res habet. Apud Plutarchum hoc de eadem re legitur iudicium:

ὁ ψευδῶς μὲν, γελοίως δὲ καὶ ἀνοήτως θάτερου τὸν ἕτερον ἃ προσῆν ἀμφοτέροις ὀνειδῆ λοιδοροῦντος.

Ergo in communi fonte fuit quaedam orationis ubertas, quam Plutarchus reliquit intactam, at Tacitus vocabulorum maiorem omisit partem et sic brevis illa nata est sententiola, quam vos nunc tamquam vere Taciteam stulte miramini: non enim, quoniam sic Tacitus voluit, nata ea est, sed quia lex iubebat, quam post multa saecula Nissenius certa erat concepturus formula. Aut, si hoc mavultis, imprudens neque quidquam inde exspectans laudis, eam ita Tacitus enuntiavit”.

Boissier autem, quamquam ne ipse quidem quidquam pro certo affirmare ausus est — sic enim fere venustissimam suam doctissimamque concludit disputationem: „quaestio de Taciti fontibus neque soluta est neque, ut opinor, solvetur unquam” — tamen primus fuit, qui doceret homines ad quas absurditates detruderet lex illa cives nimis modestos. Illo enim auctore iam confidenter hoc declarare audemus: sit ceteroquin qualiscunque Tacitus, sit in inquirendo diligens vel incautus, in enarrando iustus vel cupidus, at habet ingenium proprium suumque, propriamque eius indolem refert oratio. Postquam vero exstitit Woelfflinius, qui egregio ingenii acumine hanc perscrutatus est quaestionem, omnia illa volumina, quae longis locorum parallelorum tabulis Tacito adimere student quidquid illum maxime a ceterorum scriptorum distinguit coetu, volumina illa composita a viris qui, ut ipsius Woelfflinii utar dicto aureo, „tam densa se circumdant doc-

trinae nube ut persequi eos possit nemo" ¹⁾, illa, inquam, omnia eleganter, si ita videtur, ab opifice exornata tamquam scriniorum nostrorum decora seponimus, nunquam posthac inde exitura.

Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, hem, tempus est.

1) Stösst man in der Erklärung der erhaltenen Literatur auf Schwierigkeiten (und wo wäre dies nicht der Fall?), so vermeint man dieselben zu heben, indem man statt der bestimmten Zahlenwerthe zu x. y. z. flüchtet, und man rechnet dies zur wissenschaftlichen Forschung, sobald man wegen des Dunkels nicht mehr verfolgt werden kann.

II.

Ad rem quam felicissimo acumine perspexit demonstrandam uno tantum Woelfflinius hoc utitur argumento:

Plutarchus latine nescit, et si in vitis Galbae Othonisque aliquid perverse, stulte, ridicule narrat, facillimum est Taciti vocabula indicare quae in errorem eum induxerunt.

Sed exemplorum quibus hoc argumentum illustret magna Woelfflinio in promptu est copia. Sunt disertissima omnia; duo tamen eorum maximam mihi habere videntur persuadendi vim. Quae illa sint dicam:

Otho, a coniuratis suis vocatus ut se cum illis in castra conferat praetoria, hoc utitur mendacio quo subitum suum e Palatio defendat discessum. Rogatus a Galba cur abeat respondet a se *emi* aedes vetustate suspectas, nunc se ab *architecto redemptoribusque* exspectari (v. Tac. H. I, 27).

Res est quam maxime perspicua et e vita sumpta. Si aedes nostrae aliquod gravius ceperunt detrimentum, architectum arcessimus; is quomodo sarciri possint debeantque demonstrat. Tum autem aut solus rem totam suo periculo in se suscipit aut opus locat, redimitque illud plerumque vel faber lignarius vel lapidum structor, sed prius cum aliis loquitur fabris ne in statuendo pretio graviter erret. A nostra autem consuetudine res quam Otho fingit leviter tantum discrepat; hic enim singuli fabri quanto sua pars constet declarant.

Quid vero Plutarchus? Othonem simulasse dicit aedes

vetustate suspectas a se *emptas*, nunc sibi cum *architectis* deliberandum ut earum vitia monstrare possit *venditoribus*.

Potestne quidquam stultius excogitari? Suaviter, hercle, rideat si quis in praedio vendendo emptorem emunxerit, cum ille *postea* sibi demonstrat quae sint eius vitia. At quod apud Tacitum Otho simulat, revera unusquisque paterfamilias cautus prudensque facere solet: quanti emere velit non prius declarat quam a peritis hominibus cognoverit quae sibi sit in reficiendo impensa facienda.

Et unde natus est immanis ille Plutarchi error? Res est incredibilis et tamen vera: non solum quid interesset inter *redemptorem* et *emptorem* nesciebat, sed etiam *emendi vendendique* verba Latina inter se confudit.

Nescio tamen an hoc exemplo, quamvis evidens sit et manifestum, alterum, quod iam sum prolaturus, in clariore etiam totam rem ponat luce. In eo autem idoneam, ut ego censeo, ob causam paulo diutius subsistam.

Quondam, dum Otho cum amicis, lautis senatoribus, epulabatur, gravis ortus est *praetorianorum* tumultus, cuius haec causa erat: cohortem quandam Otho Ostia arcessiverat eiusque armandae curam Crispino *tribuno praetorianorum* mandat. Is omnis vitandae morae causa, nocte negotium exsequitur: otio enim et spatio opus ei est. At vix aperto armamentario conspicitur ab uno alteroque milite, qui ebrii in principiis discurrent: hi ceteros convocant, quorum alii armis visis caedis pugnaeque fiunt avidi, alii prodicionem odorantur, fit rumor adversus Othonem armari senatorum familias: equi conscenduntur, ad Palatium advolatur. Senatores, qui etiam apud Othonem discumbunt, vix saevitiam militum effugiunt. Postridie Otho in *castra* venit *praetoria* et *praetorianos* male de ipso sollicitos oratione mitigat (res legitur apud Tac. Hist. I, 80 sqq.).

Quis hisce auditis non intelligit nullas in hoc tumultu

fuisse *Ostiensis* cohortis partes? Illa utrum eo tempore Ostiae fuerit etiam an in aliquo urbis loco vel prope urbem sit deversata non docemur, neque ad hanc quidem narrationem intelligendam quidquam nostra scire interest. In *castris praetoriis* oriuntur turbae istae, a *castris praetoriis*, quae sunt *ad urbem*, Palatium petunt *praetoriani*. Et ne quis miretur hoc illos spatium *equis* emensos, inspiciat Taciti c. 40 eiusdem libri, ubi de praetorianis haec narratur:

Othoni armari plebem nuntiabatur. Ire praecipites et occupare pericula iubet. Igitur milites Romani, quasi Vologaesum aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proculcato senatu truces armis, rapidi equis forum inrumpunt ¹⁾.

At Plutarchus *Ostia* tumultuantes illos advolasse milites tradit, qui error quantopere totam perturbet narrationem quivis conicere potest. At quomodo natus ille est? Scilicet apud Tacitum legens *urbem ac Palatium petunt* non intellexit Plutarchus hoc dicere auctorem suum: „interiorem petunt urbis partem atque eam ubi Palatium est” et sic ea vocabula vertit Graece: ἤλαυνον εἰς τὴν Ῥώμην atque Crispinum *Ostiae* vehicula armis onerantem facit ²⁾.

Paulisper me in hoc loco subsistere velle dicebam: ipsi mihi quid in eo legendo tractandoque acciderit narrabo; eiusmodi enim illud est ut Woelfflinianum inventum corroboret; certe non indignum videtur quod cum legentibus communicem. Fortasse ne ipsi quidem Woelfflinio, praestantissimo viro, cognitu ingratum erit.

1) Cf. Suet. Galba 19: equites quibus mandata caedes erat.

2) Suetonius O. 8 rectissime in narratione de hoc tumultu Ostiensium militum mentionem facit nullam. De consilio arma illa e praetorio petendi quae narrat paulo sunt obscuriora; sed *cur* e praetorio sint petita nunc non curamus, dummodo *inde* petita constet.

Probe memini et, nisi meminissem, ipsum exemplar Taciti quo iam Gymnasii Amstelodamensis discipulus usus sum, mihi multis signis interrogativis rem in mentem revocare posset, me cum primum sedulo operam Tacito dare inciperem in hoc ipso loco diutius haerere. Videbar mihi de seditione quadam cohortis cuiusdam Ostiensis legere, deinde ob intempestivam plenamque periculi de imperatore suo sollicitudinem obiurgari reprehendique ab Othone videbam — praetorianos. Neque tamen Ostiensis illos missos facere poteram; legebam enim de militibus *urbem* petentibus: *aliunde* ergo illi venerant. Et quoniam *Ostiae* in prima narratione erat facta mentio, *Ostia* illos accurrisse mihi constabat. Denique in eodem errore versabar in quo haesisse Plutarchum nunc scimus omnes. Sed quoniam intelligebam sic ceterae narrationis neutiquam constare rationem, iterum iterumque mecum totum locumolvebam, donec tandem aliquando quid Tacitus suo *urbem ac Palatium* sibi voluisset intelligebam.

Multi transierunt anni mihiq̄ Professori Academico cum commilitonibus meis Tacitus legendus erat. Vesperi tunc certis diebus domum meam conveniebant literarum candidati, iuvenes satis docti et subacti iudicii, ut suaviter confabulantes in Tacito enucleando mutuam traderemus operam. Ad nostrum autem locum cum pervenissemus quid videbam? Eodem omnes teneri errore qui mihi olim tot tantaque exhibuisset negotia! Ego vero admodum mihi placebam, qui tribus verbis *urbem ac Palatium* recte vertendis nebulam illam dissipare possem. Hic plerique tam efficaci statim manus dabant scientiae, at unus et alter pertinacior erat: Plutarchum contulerat, ita ut in tenaci haereret coeno, unde plantam evellere non auderet. Ego vero, cui Plutarchi opponeretur auctoritas, diu — infitiri nolo — tacui: quid enim facerem? Tandem tamen, re accuratius pensitata, exclamavi: Tacitum ergo vertit Plutarchus et prave vertit . . . ergoque falsissimum esse luculenter apparet

quod viri docti de Tacito Plutarchoque e communi fonte haurientibus sunt commenti.

Admodum invento meo gaudebam, quantique illud esset momenti probe intelligebam. Nolebam tamen iam tunc in medium proferre. Iacet enim in scriniis meis spissum annotationum ad Tacitum volumen, accurate digestarum nitideque perscriptarum: illas et privata lectio et illa cum commilitonibus colloquia mihi suppeditarunt; quotidie ferè novi aliquid accedit aut quod olim scriptum est vel emendatur vel novo stabilitur argumento. Diuque — nam diu est ex quo omnia ista mandare chartis coepi — spes me tenuit aliquando me inde aliquid esse compositurum quod unum esset totumque, iamque *Analecta Tacitea* *Analectis Xenophonteis* socia dabam. Sed illud *aliquando* longe etiam remotum videbatur. Hic me diaria philologica certiore faciebant de Woelfflinii in Academia Monacensi oratione habita. Emo libellum et legere incipio: iam tribus paginis perlectis certissima esse multa quae vir summus afferat intelligo, nondum tamen quidquam video quod tantam habeat persuadendi vim, quantum unum illud argumentum quod ego a commilitonibus meis coactus inveneram. Pergo igitur idque corde micante; spero enim — cur hoc reticeam? — de Othonis praetorianis imperatoris sui causa tumultuantibus fore silentium, iamque mihi laetus promitto hoc me exemplum Woelfflinio suppeditaturum . . . nihil enim iucundius mihi est quam pro virili parte efficere ut appareat factum non esse quod fieri non potuit. At mox mihi gaudium illud, quod animo iam praeceperam, eripitur; pagina enim 40 totam rem accurate docteque expositam video.

Ecquid doluisse me putas? Paulisper, fateor. Mox tamen dolor ille cessit laetitiae multo vividiori. Nonne enim iucundus cum tanto viro consensus? Et quid attinet quis primus invenerit aliquid, dummodo sit verum et aliquam habeat

utilitatem? Atque hoc pridem, necdum cognita Woelfflinii disputatione, a me inventum licet pauci sciant, at fideli servant memoria. Mihi vero non mediocriter inde crescit fiducia; sic enim credere incipio non plane frustra me antiquis dare operam scriptoribus.

Ad Tacitum quod pertinet, iucunda illa et honorifica *συνέμπρωσις* me impulit ut investigarem essentne praeterea in lucubrationibus meis Taciteis nonnulla quae iam nunc in medio proponenda viderentur; idque tum praesertim facere decrevi, si quaedam ibi invenirem quae aut Woelfflinianum inventum confirmarent aut illustrarent aut denique cum eo aliquo modo cohaerent. Nec diu quaesivi: mox enim nonnulla excerpseram quae eiusmodi viderentur, atque — id quod pluris etiam mihi erat — ita possent componi ut non quidem absolutum existeret opus — illud autem quis hac aetate possit sperare? — sed tamen aliquid quod, qualecunque esset, in se esset teres atque rotundum. Quomodo mihi ea res cesserit peritus atque aequus videat censor.

III.

Initium faciam a duobus locis, qui haud dubie quam arc-tissime cohaerent cum sententia a Woelfflinio tam luculenter defensa. Utrobique enim de se historiarum scriptore loquitur Tacitus, estque alter eiusmodi ut — dummodo integrum eum vindicemus ab inutili quodam emendandi conamine — egregie nos doceat Tacitum non minus bene quam aequales nostros sensisse quod esset boni historici officium ¹⁾, altero semet ipsum indicat et vitium quoddam profitetur quod legentes identidem in utroque opere maiore — sed saepius tamen in Annalibus — agnoscimus.

A. Ann. XIII, 20. Postquam narravit Neronem, vehementer exterritum rebus quae sibi de matre et Rubellio a Paride nuntiarentur, non solum de illis perdendis cogitasse sed etiam de Burro praefectura demovendo, ut qui matris esset gratia proventus, sic pergit:

„Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos, mandata ei praetoriarum cohortium cura, sed ope Senecae dignationem Burro retentam: Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt *Nos consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint sub nominibus ipsorum trademus*”. Ante auctorum Nipperdeius

1) De omnibus antiquis historiae scriptoribus valere idem neque quemquam eorum errare *voluisse* optime demonstrat Boissier l.l.

inserendum statuit *horum*, eamque coniecturam non tamquam incertam in calce paginae commemoravit sed tamquam nulli dubitationi obnoxiam in textum recepit. Est autem non solum temeraria et audax sed falsissima. Bene enim demonstravit Furneaux participio *secuturi* non solum *futurum* tempus indicari sed *et* praeteritum *et* futurum contineri, sic fere: „quemadmodum hactenus sum secutus ita posthac sequar”. Nam si *inde ab hoc loco* se Fabium, Plinium, Cluvium secuturum Tacitus declarasset id ei *accuratius* erat significandum. Tum fac eum de futuro tantum cogitare tempore: magna ergo gravitate pronuntiat se in posterum facturum *semper* id quod revera *rarissime* fecit. Qui enim hic auctores nominantur tamquam *identidem* afferendi, illorum nomina in sequenti Annalium parte recurrunt . . . singulorum semel. Quomodo historia sibi scribenda videatur Tacitus hic breviter exponit, quaenam studia illud postulet opus et quasnam investigatones. Et de illa re fere idem statuit illud quod etiam hodiernis historicis est persuasum ¹⁾, quamquam illi, in tanta materiae copia, multo accuratiores esse diligentioresque et possunt et debent.

Consulendi conferendique sunt auctores, idque quam plurimi. Si de eadem re omnes tradunt idem, confidenter eos sequi potest et idem narrare qui denuo idem tractat tempus: tum autem nominare illos plane supervacuum est, omnes enim communem quandam efficiunt opinionem, de qua neque antea dubitavit quisquam neque nunc est cur nos dubitemus. Contra si alii auctores alia produnt, novus scriptor non potest quidquam pro certo affirmare sed nominat singulos ita ut illorum periculo fiat narratio.

Nos severiores quidem sumus adversus historicum, plus ei imponimus oneris, ipsum nihil non tamquam in trutina

1) Hic quoque Boissier ll. conferatur.

examinare iubemus, sed quin omnino bene perspexerit Tacitus quid esset historiam scribere, dubitare iniquum sit.

B. Ann. III, 3. Cineres Germanici cum Romam afferrentur communem fuisse civium, magistratuum, senatorum luctum praeclare Tacitus exponit, in tantaque omnium mortalium tristitia vulgi fuisse conversos oculos ad Germanici uxorem liberosque, ad Claudium defuncti fratrem germanum, ad Drusum fratrem adoptivum, quorum dolor fletusque erat conspicuus. In eodem capite et haec leguntur:

Matrem Antoniam non apud scriptores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam.

Dicebam Tacitum, omnesque bonos historicos antiquos, idem *fere* spectasse quod hodiernos, eodem tetendisse, eidem rei dedisse operam. Ut quid olim gestum sit quam accuratissime doceantur, quam optime perspiciant posterius, hoc sibi habent propositum utrique. At hic agnoscimus aliquid quod antiquis historicis quam maxime cordi sit, cum hodierni multo rectius sentiunt illud a se sine ullo operis sui detrimento omitti negligique posse. Historicus hodiernus, si pure terse perspicue scribit, si res apte disponit, si oratio rebus quas narrat est accommodata, nihil, quod quidem ad externam libri speciem pertinet, ultra quaerit: iure; et potest sic quoque tamquam artifex laudari. At antiquus historicus — et de nullo magis illud valet quam de Tacito ipso — eodem modo legentes afficere studet, quo qui nunc fictam narrat fabulam, quam Romanensem vocamus; cum tragici arte illius apte potest conferri studium. Et quemadmodum in quavis tragoedia certae sunt personae, quibus partes quaedam sunt mandandae, et in fabula Romanensi certi quidam rerum gestarum nexus, nexuumque illorum solutiones, quibus aegre careat qui illam pervolvit, sic antiquus Historicus omnes notos habet loculos unde petat ea quibus legentes delectet vel terrorem iis in- cutiat, vel moveat misericordiam. Nunc si cui in historiae

suae aliqua parte de funere hominis vehementer defleti atque desiderati est agendum, parum, ut opinor, curat quid singuli eius cognati affinesque fecerint dixerintque, et ne matris quidem quae fuerint lamenta questusque anxie in fontibus suis quaeret; si nihil eiusmodi invenerit, sine ullo libri periculo de illis taceri posse ei erit persuasum. At Tacitus aequales suos posterosque commovendos esse censet, idque, si fieri potest, vehementer; non ergo libenter hic aliquam lacrimarum querimoniarumque facit iacturam; de Germanici matre sibi esse tacendum cum magno agnoscit dolore.

Atque haec quidem inter novos veteresque historicos discrepantia non statim his vitio danda est; at parit vitia eaque saepe admodum gravia. Qui enim quocunque modo legentium animos commovere studet, is saepe aequo paratior est ad rem aliquam, quae huic proposito inserviat, arripiendam. Praesertim cum aliquid invenit quod sit dirum, horrendum, nefarium, id quantocius in usum suum convertit, haud inquirens sitne verisimile et traditumne sit a bono auctore. Tacitum certe haud semel atrocita ita narrantem deprehendimus ut non difficile sit demonstrare cur illa vel omnino fieri non potuerint vel certe non sic ut tradidit historicus. Non est aliud exemplum insignius, quam quod Ann. L. XIV cc. 3 sqq. invenitur, ubi Tacitus, quibus modis matrem occidere conatus sit Nero, narrat.

Primum audimus de nave ita composita ut pars eius sponte solvi posset; ita in mare Agrippina decideret. Novum consilium sed minime incredibile: mentiri enim Nero poterat navem in scopulum aliquem latentem incidisse et sic mersam esse ¹⁾). Praeterea ad eam rem *non plus uno* erat opus conscio. Unam tantum haec narratio molestiam habet, sed hanc prae

1) Hoc, etiam si mare fuisset *placidissimum* poterat fingi; quod cur neget Furneaux haudquaquam intelligo.

ceteris multo gravioribus, quas praebent sequentia, negligere licet, nempe quod Nero plane oblitus fingitur quam fuerit natandi perita mater.

At accedit huic machinae camera eodem structa modo, quo instrumenta quibus nunc ad talpas capiendas utuntur agricolae.

Ubi neuter dolus succedit, remiges „in latus inclinare atque ita navem submergere” conantur. Quaeso, hic conatus si eventum habuisset, quid ipsis esset factum remigibus? Sed illis non est „in rem subitam consensus” et „alii” (quinam sunt illi qui nunc remigibus *opponuntur*?) contra tendunt. Sic Agrippina Acerroniaque leniori casu in mare decidunt. Haec, quae se Agrippinam esse simulat, omnibus, quae fors obtulerat, telis conficitur. Ergo *conscii sunt fere omnes*, quos navis illa vehit. Quid vero si ipsam Agrippinam sic nautae interfecissent, non, errore ducti, Acerroniam, eiusque corpus postea esset inventum, plenum vulnorum? Num *casu* eam periisse Nero simulare potuisset? Et si omnes, aut tantum non omnes, quos navis illa vehebat, conscii erant, quorsum omnes illae machinae tanto artificio compositae? Sed nolo diutius haerere in hoc loco, cuius quae essent molestiae dudum demonstravit vir acutus, sed qui praeterea saepe ingenio est abusus. In editionibus tamen Taciti nihil ex hoc genere annotari est quod miremur.

Nullum est dirorum facinorum genus, de quo in Annalibus frequentius narret Tacitus quam de veneficiis: sic voluit tempus, de quo agit, sic ipsius indoles atque natura. Sed cognitis iis, quae modo exposuimus, nemo, ut opinor, mirabitur omnia illa veneficorum scelera, quae apud Tacitum paulo fusius describantur, ita narrari ut sic ea esse commissa credere non possimus. Et revera omnes Taciteae narrationes, quae huc pertinent, aliquid habent quod non concoquamus. Aut obscurae sunt aut eiusmodi, ut nostris nobis opus sit

verbis ad demonstrandum non solum quid narret Tacitus, sed etiam quid revera factum sit, quod ab illo, dum commovendi nimis indulget studio, corruptum sit atque detortum.

Initium faciam ab eo veneficio quo de medio sublatus est Claudius. Hic quoque locus tractari recte non potest nisi removemus vitium, quod pravum emendandi studium ultro invexit. Legitur locus Ann. XII. 67:

(scriptores temporum illorum prodiderunt) infusum delectabili cibo ¹⁾ venenum, nec vim medicaminis statim intellectam socordiane an Claudii ²⁾ vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia, provisam iam sibi Xenocráti medici conscientiam adhibet. Ille, tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur e. q. s.

Admodum intricata est narratio; videor tamen mihi re iterum iterumque explorata tandem perspexisse, si non quid Tacitus doceat, at certe quid consilii ab Agrippina sit initum. Primum *lenti* veneni factum est periculum, sed ita *lenti* ut vis eius *statim* (i. e. in ipsa coena) posset *intellegi* (novicio vocabulo *constateeren* illud verbum est vertendum). Sperabat nempe Agrippina eiusque minister consopitum iri illo veneno Claudium, vel collapsurum esse; quo facto in cubiculum perferendus esset ille, ubi exspiraret neque dolo ab aliis intellecto neque facultate Claudio data ad amorem filii redeundi. Praeterea sic vitabatur *invidia praesentium*, quam Agrippina, cum res aliter cecidisset, spernebat. At quid fit? Sperata illa vis *non intelligitur*, sive quod *convivae*, qui Agrippinae consilii inscii erant, *socordes* sunt et nihil vident, sive quod putant

1) Sic ego legere malim quam *boleto*. In codice est *cibo leto*, haud dubie natum e: *cibo*.

2) In codice est *socordiane an Claudii vi an vinolentia*. Ego tantummodo dittographiam *vi an* tollo, non utor transpositione: *socordiane Claudii an vinolentia*.

1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

1901
1902
1903
1904
1905
1906
1907
1908
1909
1910
1911
1912
1913
1914
1915
1916
1917
1918
1919
1920
1921
1922
1923
1924
1925
1926
1927
1928
1929
1930

11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

...ta emenda-
...rit inve-
...rit
...
...pi-
...Sive
...pridem
...e. Ergo
...nobis est
...esaris cubi-
...hanc lubenter
...icia, de quibus
...ent aliquid, quod
...ta quam emendata

...rantur A. III, 7 vide-
...quaesisse exitum prae-
...at omnium animi petendae
...eno necasse dicebatur) „ulti-

...per amoena Asiae atque Achaiae
...scelerum probationes subverteret.
...m, ut dixi, a Cn. Sentio (qui Syriae
...sor, cf. II, 74) famosam veneficiis
...te Brundisii extinctam, venenumque
...occultatum, nec ulla in corpore signa
...at”.

...m sibi volunt? Argumentum loci huc fere
...perdecius: „Martina, quamquam dubium non
...um sumpsisset (hoc enim eam semper occul-
...tuisse modo erat cognitum) tamen eiusmodi
...debat in corpore signa aperta; habuerat ergo

venenum eiusmodi ut qui eo necatus esset nulla veneni proderet signa; atqui Germanici quoque corpus *praetuleritne veneficii signa, parum constitit* (II, 73), quod fere idem est ac si *nulla inventa signa fateretur Tacitus: ergo ab illa Germanico paratum esse venenum perquam erat verisimile*".

Audio, sed quid hisce cum praecedentibus? Quemadmodum enim coniunctio *nam* docet, de Martina narrando Tacitus praecedentium illorum *rationem reddidit*. Praecedit autem questus vulgi quod Piso, dum interim se oblectet Achaiam Asiamque peragrando, *scelerum subvertat probationes*, quorum verborum haud dubie hic sensus est ut Piso dicatur de medio tollere quidquid indicio esse possit necatum a se Germanicum. Est eius mora *arrogans*, quia tam diri facinoris suspectus in amoenissimis terrarum locis superbe lauteque vivit; est *subdola* quia, dum praeter voluptates suas nil curare videtur, in Italia per ministros securitatis suae causa scelera perpetranda curat. Haec omnia eo nos ducunt ut hoc dici credamus: „illorum ministrorum et Martina victima fuisse vulgo videbatur". At nunc quid sibi vult venenum illud nodo criminum occultatum, quid frustra quaesita sumpti exitii signa? An putabat populus Pisonis ministros ad Martinam tollendam illo ipso usos veneno, quod tam bene celaverat illa? Quomodo eo potiti sunt? Denique ipse Tacitus quid velit nescire videtur, ergo temere proferre rumores hic illic inventos.

IV.

Nunc unum alterumque locum indicabo, ubi hactenus unum vocabulum non satis accurate acceptum videatur, quo factum sit ut tota loci interpretatio vitium conciperet.

Hic mihi disputationis meae initium praebet Fr. Pollius, qui suavissimo doctissimoque libello quae sint vulgi de linguae ratione opiniones ¹⁾ docet. Is enim ibi inter se confert Herodoti locum L. VIII, c. 140 et Demosthenis p. 68, atque de illis sic disputat:

Herodoto auctore Alexander Macedo Mardonii verbis Atheniensibus tantum non auri montes pollicetur dummodo communem Graeciae causam omittant regisque Persarum fiant socii.

At Demosthenes haec habet:

εὕρισκει γὰρ (Philippus) τοὺς μὲν ὑμετέρους προγόνους, ἐξὸν αὐτοῖς τῶν λοιπῶν ἄρχειν Ἑλλήνων ὥστ' αὐτοὺς ὑπακούειν βασιλεῖ, οὐ μόνον οὐκ ἀνασχομένους τὸν λόγον τοῦτον, ἤνικ' ἤλθεν Ἀλέξανδρος ὁ τούτων (L. τούτου) πρόγονος περὶ τούτων κήρυξ κτέ.

„Traditum est ab historico” Pollius ait „petivisse ab Atheniensibus Alexandrum ut regis fierent *socii liberi*; at Demosthenes finxit aquam terramque postulasse eum et *plenam perfectamque deditionem*. Revera, si logices habemus rationem, sic ipse Demosthenes vim argumenti sui infirmit, nam quo *minus odiosum* fuerit antiqui illius Macedonis postulatam,

1) Fr. Polle, Wie denkt das Volk über die Sprache?

quod tamen proavi Demosthenis tam aegre tulerint, eo *gravior* fit causa cur hodierni Athenienses hodierno regi Macedonum irasci debeant amicitiam eorum petenti. At logicam artem neque ipse curat Demosthenes neque curaturum putat populum quem alloquitur. Ut enim est callidus usuque doctus animorum popularium iudex, novit se eo quo tendat, nempe ut Athenienses in Philippum incendat, optime perventurum, si quam plurima colligat vocabula irae in Macedones movendae apta”.

Equidem, ne quid dissimulem, Pollium Demosthenis locum leviter detorsisse puto quo suo fieret proposito aptior, sed facile hoc ferimus, quoniam sic revera illi aptissimus factus est, et quoniam ipsa res, quam Pollius docet, est verissima. In quotidiano sermone, si ii quos alloquimur aliquo modo sunt afficiendi, saepe quam plurima vocabula coacervamus, quae illi affectui sunt cognata, immemores sic nos saepe demonstrationis nostrae vim debilitare. Dabo exemplum ex ipsa vita sumptum, quod egregie popularem illum errorem (nam error vocandus est si logices habemus rationem) illustrare videatur. Nos si dicere volumus hominem aliquem lenissimum esse mitissimumque, saepe sic de eo loquimur: „ne puerum quidem laeserit ille” vel „ne gallinae quidem nocuerit” vel „ne muscam quidem occiderit”. Revera extremam clementiam lenitatemque his verbis *non* describimus. Potest esse aliquis admodum crudelis et tamen non eadem qua Domitianus re delectari; potest esse durus neque tamen unquam gallinas lapidibus persequi; canem saepe mordacem laudari audimus, apud quem tamen infantes tuti sint. Sed, ita loquentes, plenos esse audientium animos cupimus lenitatis clementiaeque imaginis, igitur de puero loquimur imbecillo, de gallina, omnium animalium innocua maxime, de musca minimi corporis; neque quisquam unquam tam fuit logicae dicto audiens, ut vulgari locutione omissa „ne *tigridi* qui-

dem nocuerit" vel „ne *serpentem* quidem occiderit" diceret.

Tam autem ipsi naturae hominis innatum est illud vitium, tamque facilem habet excusationem, ut minime mirum sit etiam in cultissimorum scriptorum libris exempla eius inveniri. De exemplo a Pollio e Demosthene prolato iam dixi, et omnino rara esse opinor quae nulli sint obnoxia dubitationi. Apud Tacitum tamen duo mihi deprehendisse videor: de altero — atque illud prius proferam — certa mihi stat sententia, de altero suspicor tantum.

H. I. 33. Discessit a Galba Otho seque ad praetorianos contulit. In Palatio fit certamen opinionum. Alii exspectandum esse censent firmandumque Palatium, sponte emoriturum adversariorum impetum rati. Alii contra morae sunt impatientes Galbamque ad fortia incitant consilia. Haec ipsius Taciti verba sunt:

Festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum. Trepidaturum etiam Othonem, qui furtum digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari principem discat.

„Dum nos tempus terimus", aiunt „Otho imitari principem discit". At si nihil ultra Othoni acquiritur, quam quod interea *imitari* tantummodo principem discit, non admodum magnum mora affert periculum. Tum demum festinandum esset, si metueretur ne per aliquod temporis intervallum bonus imperator et peritus copiarum suarum dux Otho fieret. Et revera illud metuunt qui cum Galba quamprimum obviam ire Othonis conatibus gestiunt, et secum sic loquuntur: „nunc neque Otho milites novit neque illi Othonem, nunc quid agat nescit etiam; at si aliquamdiu in castris permanserit, si vitae militari denuo assueverit, ut est homo comis et facundus, milites sibi devinciet ita ut pro illo extremum adire periculum non recusent". At simul Othonem, virum levissimum voluptatibusque deditum adeo contemnunt ut de eo tamquam de *vero*

imperatore loqui non possint. Quidquid de eo dicunt plenum esse debet contumeliae; ergo, cum secundum artis logicae praecepta dicendum esset: „dum nos tempus terimus Otho *imperare* discit“ sic loquuntur: „dum nos tempus terimus Otho *imitari principem* discit“ (Belg. „keizertje spelen“).

Suspicator autem eodem modo accipienda esse verba quaedam, quae Ann. I, 4 leguntur; certe sic demum cum accipimus, servari potest lectio tradita, alioqui mutandum est aliquid. Ad imperium cum venisset Tiberius, varius erat de eo rumor. Virtutem bellicam nemo ei denegabat, sed superbiam ei innatam saevitiamque iam erumpentem multi metuebant. Ut Taciti utar verbis:

Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice, congestos iuveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliud quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum.

Pro *exulem* certatim omnes editores in textum recipiunt Mureti coniecturam *exul*. At ego *exulem* cum lego, multo clarius audio inimicos Tiberii de moribus eius cum summo odio contemptuque loquentes. Est *λογικωτέρα* Mureti lectio, haud nego: specie secessus Tiberius exul egit, simulavit sua sponte se Rhodum secessisse, revera in exilio ibi vixit. Contra si verbis *exulem egerit* adversarii illi usi sunt, sibimet ipsi sunt oblocuti; sed saepe hoc iratis hominibus, evenit, dum quam plurima vocabula affectui suo accommodata simul proferunt. Vernaculo sermone si quem in familiari colloquio ita iram suam evomentem audiremus, logicae arti vim eum facere fortasse ne audiremus quidem.

Sed iam missum facio Pollium lepidamque eius observationem. Tres ex diverso genere proferam locos ubi unum vocabulum non satis bene intellectum, non satis accurate consideratum, turbas dedisse videatur non ita parvas.

Primus eorum haud dubie corruptus est, sed cum antehac

alii aliter, sed omnes sat violenta medela, salutem ei afferre conati sunt, uno verbo recte intellecto lenissima coniectura in integrum potest restitui.

H. II, 4. Tres... ipsi Vespasiano legiones erant exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace; sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies *et inexperti belli labor*.

Sic est in codice, sine sensu. Iam vox *labor* non est quod nos moretur, eam enim e proxime praecedentibus huc aberrasse perspicuum est. De ceteris videamus. Quid illud est quod militibus *vigorem* dare possit etiam cum bellum non gerunt?

Num ipsum illud *quod* non pugnant? Hoc Nipperdeius putasse videtur, coniecit enim *et inexpertum bellum*, neque multo feliciores ceteri fuisse videntur critici, qui hunc tractarunt locum. In eodem enim errore versati sunt omnes: *integram* quietem esse putarunt quietem nunquam perturbatam; quasi vero illa unquam fuerit *vigoris* causa. In Ritteri certe interpretatione vocabula legimus: „eine ungefährdete Ruhe”. Sed non hanc adiectivum *integer* vim habet; *quies integra* est quies libera vitii quae saepe quies affert exercitui: pigritiam, immodestiam, raptus atque luxuriam. Res multis potest illustrari exemplis, sed disertissimum hoc (II, 97): „integrum illic (in Africa) ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat”. Saepe, ne plerumque dicam, proconsules in provinciis rapinis et crudelitate se nomenque Romanum commaculant, qui clementer provinciam rexit eius *integer* est proconsulatus. Quodsi quis contendat arctiore sensu ibi esse accipiendum adiectivum, integrum esse eum qui manus absteat alienis integrumque eius proconsulatum, non obloquor, neque quominus de *integra quiete* idem statuamus intercedo: rectissime *integra*

quies dicitur eorum militum qui non rapiunt sed, ut est in lepidissimo Wallensteinii Schilleriani versu, „contenti sunt pane suo militari”. In pace autem quid raptus militum inhibet? Severa, opinor, disciplina, labor improbus, exemplum ducis. *Sic* integra quies vigoris fieri potest causa. Nunc duabus mutatis literulis, vel fortasse una (nam *labor* istud missum facimus) Taciti restitui manus potest: quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et *inexpertis bello* (vel *belli*. Legitur enim H. II, 75 *legiones civili bello inexpertas*, A. XVI, 5 e lectione Puteolani: *lasciviae inexperti*). Et ¹⁾ *inexpertis bello* i. e. *quamquam* in aciem nunquam erant eductae, tamen vigorem legionibus dederat *integra quies* i. e. severitas disciplinae.

Alter legitur H. III, 77: „interim ad L. Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit, pollicitusque, si praesidium acciperet, *vacuam arcem traditurum* e. q. s”. Quivis hic, obiter aspectis verbis *vacuam arcem*, exspectet a servo illo per ignotam quandam incustoditamve semitam paucos in arcem, tunc forte *vacuam* militibus, inductum iri milites. At quid fit? In collibus, qui urbi imminet, copias (non ita parvas, ut opinor) disponit, quae inde decurrunt ad caedem magis quam ad pugnam: oppidanorum neminem in arcem effugere conari miramur, sed omnino de arce *οὐδὲς λόγος*. Prorsus eodem modo quingentis fere annis antea eadem urbs capitur a Servilio Ahala (Liv. IV, 59): tunc quoque *nullam arcem* Tarracina habuisse videtur; si habuit, certe diruta ea est cum colonia Romana urbs facta est (Liv. 8, 21). Denique totum illud *vacuam arcem tradam* a servo „proverbialiter” dictum est: „in eum vos deducam locum ut non minus facile tota

1) Eodem sententiae loco et eadem vi coniunctio *et* legitur Agr. 14: *recepta populi Romani consuetudine ut haberet instrumenta servitutis et reges*. H. I, 79: *lapsantibus equis et cataphractorum pondere*.

urbe potiamini quam si arcem vacuum occupassetis". Haud inepte conferri possit *hereditas sine sacris*.

Tertius in Annalibus legitur l. III c. 74. De Blaeso perite et prudenter Tacfarinaticum administrante bellum et alia narrantur et haec:

tripertitum exercitum plures in manus dispergit praeponitque centuriones virtutis expertae. Nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed *ut in limine belli* dispositis castellis per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat.

Hic Nipperdeius *ut* delet, ego retinendum censeo, non tamen ita accipio ut Furneaux, qui tanquam idem valeat quod „utpote" interpretatur. Metaphoram ea vocula Tacitus excusat, nam metaphora est illud *limen belli*, qua tamen non (ut plerique vv. dd. putare videntur) *tempus* sed *locus* indicatur. Castra disposuit Blaesus in ipsis finibus immensae illius regionis, ubi plerumque bellum erat gerendum, inde facile in desertum excurrit recurritque, donec capto Tacfarinatis filio regressus est (in solita priorum ducum hibernacula) falso ratus finem iam bellum habere. Quodsi mihi non conceditur *propter metaphoram* illud *ut* positum esse, Nipperdeiano nobis remedio est utendum, nam si sensu *roû tamquam si* accipimus, temporalem verbis *limen belli* vim tribuimus, quod falsum est; si idem putamus esse quod *utpote*, Blaesum reputantem facimus quae sensu cassa videntur. Sic enim tum eum secum facimus colloquentem: „sum semel in finibus regionis, ubi bellum geritur, *ergo* ibi manebo".

Apte his addere possum de duabus lectionibus disputationem, quae falsae mihi videntur. Quarum prior pertinet ad Ann. XII, 26:

Nemo adeo expers misericordiae fuit quem non Britannici fortunae maeror (Ern. fortuna maerore) afficeret. Desolatus

paulatim etiam servilibus ministeriis, *p.* 1) *intempestiva novercae officia in ludibria vertebat, intellegens falsi.*

Qui hic codici obtemperantes *per* edunt, *vertebat* intransitive positum putant, ut omnia sic sint vertenda: „Britannicus officiis illis novercae, quae ipsius tempori atque tristi sorti tam erant contraria, ludibrium fiebat”. Falsissime, si quid video. *Vertere in*, intransitive positum, est: „in condicionem venire contrariam illi in qua fueras antea”. Atqui miser ille Britannicus post alteras patris nuptias minime fuerat *ludibrii contrarium*. Sed ne nunc quidem plane factus erat ludibrium Britannicus, quemadmodum apparet e vocabulis continuo sequentibus *intellegens falsi*. Gravius hoc quod, ut tamen illa sententia ex hoc loco extrahi possit, *ludibria*, quod traditum est, in *ludibrium* est mutandum, quae certe est temeraria coniectura nulloque solido nitens fundamento. At gravissimum quod tota sententia, tot artificiiis composita, nullo vinculo cohaeret vel cum praecedentibus vel cum sequentibus. Ergo cum Sirkerio *puer* non *per* legendum esse statuo, neque tamen sic verto: „puer officia illa novercae ridebat” nam legitur *ludibria* non *ludibrium*, neque quidquam *in ludibrium vertisse* Britannicum credibile est; tacitus contemnere potest, in risu erumpere non est hominis tam miseri. Denique retinemus *ludibria*, legimus *puer* et totum locum sic accipimus: „puer, (secum, tacitus) officia novercae tamquam ludibria interpretabatur”. Nunc egregie sequitur: *intellegens falsi; neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt e. q. s.* Verbi *vertendi* eo quo ego volo sensu positi praeclarum exemplum praebent duo versus Propertiani, qui totum locum nostrum egregie illustrant (Epic. Corn. 89 sq.):

Nec matrem laudate nimis; collata priori (noverca)
Vertet in offensas libera verba suas.

1) Sic haud dubie est in codice: *p*, non *p*.

Alterâ vir doctus tentavit quod legitur A. III, 49:

Fine anni Clutorium Priscum, equitem Romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare, corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, maiore praemio vulgaretur. Id Clutorius in domo P. Petronii socru eius Vitellia coram multisque illustribus feminis per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit.

Pro *legerat* Weisbrodtius coniecit *iecerat*, quod plerique editores in textum receperunt, hac, credo, re moti quod etiam VI, 31 *iaciendi* verbum cum vocabulis *per vaniloquentiam* iungitur, quasi vero nihil aliud per vaniloquentiam facere quisquam possit quam *iacere, gloriari* similia. At ego *legerat* retinendum censeo. De morte Germanici Clutorius carmen fecerat et grande pro eo acceperat praemium; vixdum de morbo Drusi certior factus est et, maioris mercedis spe, se ad novum accingit poema. Iamque partem eius recitaverat quibusdam, *qui eiusmodi recitationum auditionumque causa convenerant*. Nam talem conventum haud dubie verbis *in domo P. Petronii coram multis illustribus feminis* describit Tacitus et tantum non depingit. An putas Vitelliam negare non potuisse *audivisse se quod coram ipsa fuerat recitatum*? Inspice ergo Ann. XIV, 48:

Antistius .. probrosa adversus principem carmina factitavit *vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur* Et cum Ostorius *nihil audivisse* pro testimonio dixisset

et exemptus tibi omnis erit scrupulus.

V.

Ad illud Taciti redeo vitium de quo in Sectione III dixi. Nam non solum, ubi de veneficiis agit, habet aliquid quod displiceat, sed omnes eius narrationes de omni insidiarum genere, praeterea de delationibus calumniisque, de hominibus falsa sibi assumptibus nomina et quidquid ex illo est cognatove genere, fortasse legentium animos vehementer commoverunt firmiterque detinuerunt, sed nos saepe ibi vel perspicuitatem desideramus, vel rerum narratarum rationem. Alia sunt incredibilia, alia obscura, denique saepe nobis ipsis, omisso Tacito, divinandum est quid revera factum sit.

Primum consideremus quae Ann. XV, 50 de coniuratione Pisoniana leguntur: sic facillimum mihi transitum paro. Poterant enim quae de illa dicturus sum etiam in praecedenti capite tractari, quoniam, si quid video, hic quoque tota res in uno versatur vocabulo.

Postquam qui fuerint consilii auctores et quid illi inter se sint collocuti narravit, sat longam enumerat seriem virorum quos sibi aggregavere: Senecionem, Natalem, alios; tum sic pergit:

Ex quibus Senecio, e praecipua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur; Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat; ceteris spes ex novis rebus petebatur.

De *causis* hic narratur quae tam Senecioni quam ceteris

omnibus fuerint cur participes fierent coniurationis. Quam ergo causam habuit Senecio? Nempe quod *periculis conflictabatur*, iisque tandem aliquando quocunque tandem modo liberari cupiebat. Hoc quidem facile intelligimus. At illa pericula quae fuerunt? „A coniuratis proficiscebantur illa” Furneaux ait. Sed illud incredibile nisi — id quod nullo modo nobis suppeditat Taciti narratio — sumimus longam praecessisse coniurationum seriem, quarum unus et alter ex Neronis amicis iam victima fuerit. Nunc vero eiusmodi aliquid sic fere fuerit enuntiandum: *praecipuo in periculo erat*. At ipsum illud quam sit ineptum: Senecio de coniuratione fit certior secumque ita loquitur: „eheu quantum mihi, qui ex intima sim Neronis familiaritate, nunc impendet periculi!” Quid ergo facit? Defertne rem ad Neronem? Immo vero ipse fit coniurationis socius, eius scilicet coniurationis, cuius quam sit dubius eventus facile possit intelligere, quae quam facile possit detegi ipse est expertus: ad ipsum enim iam tum de ea pervenerat nuntius cum vulgo Neronis videretur amicus. Sermo ergo est de perpetuis periculis in quibus Piso versabatur *in aula Neronis*. Illa vero, Tacitus ait, „eo plura erant...” Cur? Quia etiam tum *speciem amicitiae retinebat*. Hoc quid est? Quaenam res huic contraria cogitari potest? Nempe *palam Neroni amicitiam renuntiare*. Hoc ergo si fecisset Senecio, num in *minore* periculo futurus erat? Immo vero, qui ex intima familiaritate Neronis particeps fit alicuius contra Neronem coniurationis, huic certa est parata pernicies, nisi omnibus modis dat operam ut amicus Neronis videri pergat. Quodsi quis philosophice rem consideret, cum Nerone *veram amicitiam* esse non posse dicat, sed tantummodo *amicitiae speciem*, ergo hac in re Senecionem a ceteris Neronis familiaribus haudquaquam differre. At quod Senecio facit proprium aliquid et peculiare esse debet. Est ex intima familiaritate Neronis, nunc illi praecipue eo plura imminet

pericula Cur? Quia habet aliquid, quod neque Nero ferre neque ipse deponere iam possit. Iam inde ab Actes tempore (XIII, 12), in eorum fuerat numero, quibuscum Nero genio indulgere solebat. Ergo plus tredecim anni sunt ex quo *retinet speciem* cuius rei? *Libertatis* opinor et *παρρησίας*. Non poterat adversus Neronem aulicum agere, sed quidquid in mentem veniebat libere proloquebatur, identidem etiam Neronem obiurgabat deridebatque, seroque sic odiosum se Neroni factum agnovit. Ergone pro *amicitiae* legendum *libertatis*? Non opinor, quamquam sic non incredibilem librario errorem imputaverimus. Eiusmodi enim locus est ut vox *amicitia* intempestive ei in mentem venire potuerit. Sed, nisi me fallunt omnia, *speciem amicitiae* illud ipsum significare potest. Servat Senecio id quod in *amicitia* maxime eminent, ex quo statim agnoscimus inter quosdam homines esse peculiare illud *amicitiae* vinculum: incuriam quandam dico, negligentiam, sermonis libertatem. Conferamus quae c. 68 de Vestino leguntur: apparebit me et totum de Senecione locum et verba *speciem amicitiae* bene illustrasse:

Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant quidam vetustis in eum simulatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem metuebant. Ceterum Neroni odium adversus Vestinum *ex intima sodalitate* coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille *ferociam amici* metuit, saepe *asperis facetiis illusus*, quae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.

A coniuratione, quae Neroni revera facta est, transeamus ad insidias, quas Tiberio structas mentitus est pessimus mortalium. De Firmio Cato Libonis Drusi calumniatore quaedam in medium proferam. Res a Tacito sic narratur(Ann. II, 27):

Firminus Catus senator, ex intima Libonis *amicitia*, iuvenem

improvidum et facilem inanibus, ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat, hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret.

Si Libo liberius lautiusque vivit et aes alienum contrahit, palam fit eum summa quaeque sperare et exspectare, eiusque vitae Catus consors cum fit, multa in Libonem potest colligere indicia. Hoc ad intelligendum non ita est difficile. Magis in vocabulis *socius necessitatum* haeremus. Nam si voce *necessitates* significari sumimus *rei familiaris egestatem atque inopiam*, rogare subit: „unquamne quisquam in aere alieno contrahendo se alii dat comitem, idque ideo ut illius cognoscat consilia secreta?” Tam absurda ea res videtur ut propensus fias ad credendum *necessitatum* ita accipi debere ut idem sit quod *necessitudinum*. Sed ita vocem illam interpretari te vetat perspicuus „parallelismus” qui est in verbis: *hortatur ad luxum et aes alienum . . . socius libidinum et necessitatum*. Ergone *socius* paulo liberius interpretemur ut Catus non dicatur et ipse aes contraxisse alienum, sed adfuisse tantummodo, cum denuo pecuniam mutuam sumeret Libo et suam interposuisse fidem? Difficile est quidquam pro certo affirmare, quia tota narratio vix ullam habet speciem veri. Ain vero? Adolescentem de insidiis Tiberio struendis ne cogitantem quidem Catus impulerit ut ea speraret exspectaretque quae ipsi funesta erant futura, adque eas ineptias eum sit adhortatus, quae illius spei indicio essent, idque hoc consilio ut ipse delator eius fieri posset et sic inire gratiam Tiberii, quo nemo unquam fuit sobrius magis et „falsi intellegens”? Profecto, haec omnia si fecit Catus, *prodigium* fuit *pravitatis* Tacito Annales suos scribenti gratissimum, sed

simul eiusmodi ut in rerum natura fuisse credere non possimus. Ergo narrationi hanc subesse veritatem suspicamur: revera Libo animo spem quandam fovit periculi plenam, et summa quaeque exspectans iam principis vivere vitam coepit, aes alienum contraxit, amicos ad luxus necessitatumque perduxit societatem, donec eorum unus, Catus, metuebat ne se Liboni alligasset magis quam ipsi utile esset, atque ut ét periculo se subtraheret ét accepto praemio aes alienum solvere posset Libonem indicavit. Cf. Sen. Ep. 70, 10: „Drusi Libonis . . . adolescentis tam stolidi quam nobilis, maiora sperantis quam illo saeculo quisquam sperare poterat aut ipse ullo”.

Multo me facilius expedio e difficultate quam narratio *de falso Agrippa* habet (A. II, 40). Ille enim

percontanti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur: Quomodo tu Caesar.

i. e. „falsum me Agrippam esse fateor, sed quibus ego fraudibus et mendaciis Agrippa sum factus, iisdem tu Caesar es factus: falsus enim Caesar es”.

Petulans profecto responsum plenumque contumeliae, sed quo simul suam fatetur culpam. Atque id eum *non* fecisse e cetera narratione apparet. Tamquam enim hominem, quem ut culpae convinceret non sibi contigerit, clam eum occidendum Tiberius curat. Quapropter respondisse reum *interrogando* censeo: „Quomodo tu Caesar?” Tunc enim hoc dicit: „ego non sum *factus* sed natus Agrippa; tu potius dic qui factus sis Caesar; hoc enim nomen omni scelerum genere es adeptus”. Si *antea* fassus iam esset, ineptum foret eum rogare: *quomodo factus es Agrippa?*, eiusmodi interrogatione eum fateri coactum quis credat?

Quoniam semel in accusationibus criminibusque versor, addam his ex eodem genere locum graviter corruptum, necdum, ut mihi videtur, revera a criticis correctum, credo quia

ipsius rei rationem, de qua agitur, non bene perspectum habuerunt. Legitur Ann. IV, 28:

Isdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in senatum inducti sunt. Ab exilio retractus illuvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus pater peroranti filio: praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam: qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto animo obversus in filium quaterre vincla Adseverabatque innocentem Cornutum et falsa exterritum; idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse.

Pro *pater peroranti filio: praeparatus adulescens e. q. s.* Madvigius coniecit *pater oranti filio comparatur: adulescens e. q. s.* Ingeniosissime, sed nihil sic proficimus; non enim, ut opinor, vehementer legentium animi percelluntur cum inter se opponuntur pater squalore obsitus et filius *orans*. Neque tum demum introducitur reus, cum accusator iam orationem habere coepit. Multo tamen Madvigii inventum melius est quam ceterorum istud *praeparatus*, quod iungendum sit cum *munditiis* ita ut aptum sensum nullum praebeat. Haec ergo mittamus, quoniam sic quoque universa verborum sententia patet. Paulo post pro *falsa* legere *falso* vel *per falsa* plane est inutile et fortasse perversum. At quae sequuntur maiorem praebent difficultatem. Hoc certum Nevii *ni proderentur* pro *si proderentur* speciosius esse quam verius, neque facile cum praecedentibus iungi posse: quid enim illud est: *facile hoc est ad intelligendum ni produntur alii?* Neque tamen *si* remanere potest, nisi volumus Serenum non *ἔρωτικῶς* sed *αἰνιγματῶδως* loqui. Quid vero si totum illud *si* una litura

delemus? Tum enim Serenus *provocabit* filium, sic fere: „quid verbis opus est? rebus et factis agamus: prode alios conscios! An hoc iudicibus te persuasurum putas in tam ancipiti arduoque negotio me unum tantum habuisse conscium? At prodere alios non poteris”. Nunc quoque *intelligendi* verbum eam habet vim quam supra monui ei inesse. (Belg. *de proef op de som nemen* et novicio omnium populorum verbo *constateeren*).

At quae de lege Papia Poppaea criminibusque ex ea natis (A. III, 25) narrat Tacitus, eiusmodi sunt, ut tota res quomodo revera se habuerit nostro exputandum ingenio relinquatur, idque non librarii culpa sed quia ipse historicus vagum tantummodo accepit rumorem, quem ita exornavit ut res quam atrocissima evaderet.

Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis ¹⁾ caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. Nec ideo coniugia et educationes liberorum frequentabantur, praevalida orbitate: ceterum multitudo periclitantium gliscebatur, cum omnis domus delatorum interpretationibus subvertēretur, utque antehac flagitiis ita tunc legibus laborabatur.

Et post longam digressionem c. 28:

Acriora ex eo vincula, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant, urbemque et Italiam, et quod usquam civium, corripuerant, multorumque excisi status. Et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, aput quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

1) Corruptum esse opinor *incitandis* proque eo *intendendis* legendum (i. e. *augendis*). Cf. Ann. IV, 2 *vim praefecturae modicam antea intendit*. IV, 26 *gloriam intendit*. XIII, 20 *luxus intendere*.

Ain vero? Ex hac lege multae *calumniae* (i. e. inson-
 tium accusationes) nascebantur, eaeque eiusmodi ut omnis
 domus subverteretur? Et tamenne non fiebant frequentiora
 iusta connubia et educationes liberorum? Magis incredibilis
 res fit si cum Furneaux *praevalida orbitate* sic accipimus:
 „quia orbitas tantum afferebat opum potentiaeque ut contra
 illam nil leges valerent”. Ergone qui revera *sontes* erant et
 quorum culpa erat manifesta (coelibes orbique) impune fere-
 bant, innocentes vero (patres et mariti) lege laborabant et
 pro orbis coelibibusque ad iudicium trahebantur, et quamvis
 uxores suas, feminas honestissimas, et liberos monstrarent,
 tamen eorum subvertebatur domus? Pessimum certe est *dela-*
torum genus; si tamen solos innocentes essent aggressi, sontes
 vero semper missos fecissent, mox, ut opinor, de iis actum
 fuisset etiam Nerone vel Domitiano imperante. Revera Taciti
 narrationi hanc subesse *rem* puto, quam ille aut nunquam
 perspexit aut palam proloqui veretur: in lege Papia Poppaea
 praesidii nil erat, ad iustas nuptias se compelli Romani nole-
 bant, praevalebat orbitas (i. e. tam grata erat plerisque ut
 prae illa nihil aliud valeret. Quos ad suam interpretationem
 vocabulorum *praevalida orbitate* defendendam Furneaux affert
 locos, illis labefactatur magis quam sustentatur). Ergo non
 reipublicae lex ea proderat sed defatoribus; his enim nunc
 copia erat et facultas quaestus faciendi; ingens enim aderat
 multitudo virorum quos accusare possent idque vere et iu-
 vante lege: *erant* enim noxii illi rei. Tandem aliquando tantus
 fiebat in urbe et adeo toto imperio metus ut ipse intelligeret
 Tiberius sic procedere rem non posse. Ergo non rescindebatur
 quidem lex Papia Poppaea, sed *plerique nexus legis solve-*
bantur, quorum verborum hunc esse sensum opinor: multae
 virorum mulierumque coniunctiones, quae non quidem legi-
 timae erant ex lege Papia Poppaea sed, ut hoc utar, tem-
 poris intervallo iam satis firmamenti acceperant, nunc, legis

illius severitate liberatae, pro legitimis habebantur. Revera erat illud *levamentum in praesens*.

Cum iudiciis delationibusque apte coniunguntur somnia vaticiniaque: in utroque enim genere regnat ἄλυσή quaedam. Videamus ergo quae H. IV cc. 81—84 narrentur de somnio Ptolemaei novoque deo ab Aegyptiis e Ponto petito. Rem recte dilucideque tradidit Tacitus sed, nisi me fallunt omnia, turbas dedit praepostera scioli industria. Sic narratio incipit:

E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius (sc. Vespasiani) advolvitur, remedium caecitatis exposcens, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitione gens ante alios colit.

Hunc deum deinde cognoscimus a Ptolemaeo Sinope petatum, iussu iuvenis, qui ei in somnio visus erat. Quis ille iuvenis esset ignorabat Ptolemaeus; quis deus esset, qui illius iuvenis sumpserat figuram, ad illud usque tempus ignorabant Alexandrini, ignorabat Timotheus Atheniensis, quem rei cognoscendae causa arcessiverat dimiseratque Ptolemaeus. Qui ergo *Serapis* esse potest, unus e vetustis Aegypti deis? Quod se non ignorare disertis verbis testatur Tacitus dicens templum extrui loco, ubi fuerat sacellum *Serapidi* atque *Isidi antiquitus* sacratum (c. 84). Denique si deus, qui in somno Ptolemaeo stetit ante oculos, *Serapis est*, qui fit ut (c. 84 extr.) alii eum Aesculapium esse dicant, alii Osiridem, alii Iovem, alii Ditem patrem (haud mirum: Ditem enim patrem et *esse* et *fuisse* eum apud Sinopenses legimus c. 83 m.: „Timotheus quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen nec procul templum vetere inter accolae fama Iovis Ditis”. Atque ex hoc templo deus vel sponte profectus vel abductus dicitur c. 84 m.), sed *nemo* Serapidem? At in verbis c. 81 *monitu Serapidis dei* dele *Serapidis* nomen, omnia erunt planissima ¹⁾.

1) De Plutarchi locis eodem pertinentibus agetur c. XVII.

Addam quaedam de loco diversi generis, in quo nulla est culpa scriptoris, nullum librarii vitium, qui tamen est eiusmodi ut obiter legentes facile in errorem possint induci. Simul mihi praebet facultatem ad Woelfflinium redeundi, a cuius praeclaro invento tota haec est profecta disputatio. Est H. IV, 79.

Agrippinenses auxilium petebant a Cereale; interim iam commiserant id quod effecerat ut neque denuo cum Civile facere possent et illius Romanorum auxilii quam maxime indigerent: Germanos enim *dispersos in domibus* trucidaverant. Hoc est quod nostratum proverbio dicitur: *pone tergum naves suas comburere*. Cavere nunc sibi debebant priusquam a clade accepta hostes (Germani) „reparatis viribus ad spem vel ad ultionem accingerentur”. Namque iam Coloniam *intenderat* (i. e. consilium ceperat eo eundi) Civilis cum cohorte integra bellique cupida, quae Tolbiaci agebat. Sed tristis nuntius eum ab hoc abduxit proposito: deletam cohortem *dolo Agrippinensium*, qui „largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne iniecto cremavere”. Haud dubie de duplici Germanorum caede sermo hic est, nam primo *diversi trucidati* Germani dicuntur, dein cohortem crematam foribus clausis legimus, ubi ergo de uno tantummodo sermo est aedificio. Atqui hostile facinus a *Coloniae incolis* adversus Germanos commissum potius eo advocatum erat Civilem quam inde aversurum. Cohors illa *cremata* eadem est quacum Coloniam tetenderat Civilis; crematur ea Tolbiaci, sed *dolo Agrippinensium* illud factum recte dicitur, quoniam *in finibus Agrippinensium* situm est Tolbiacum et Tolbiacenses ipsi sunt Agrippinenses. Hunc quoque locum aliquis proponat literarum alicui studioso, quamvis provento, sed qui in Tacito hospes etiam est; mirari mox desinet Plutarcho, cum de militibus *urbem Palatiumque* petentibus legeret, in mentem non venisse de praetorianis agi.

VI.

Pergenti mihi observationes Taciteas in lucem edere optimum factu videtur paulisper ad ea quae prolata iam sunt redire, hisque addere quaedam, quae tunc omisi; sic enim spes est fore ut sponte se mihi offerat disputandi cursus quidam neque ineptus, neque ingratus iis qui me sunt secuturi, quippe qui placide ambulare malint quam magnos identidem facere saltus. Dabo ergo operam ut, quantum in tanta rerum diversitate fieri possit, omnia ordine procedant.

Agebamus autem pag. 101 sq. de navigio illo quod matris occidendae causa struendum curasse Nero narratur A. XIV c. 3 sqq. Est profecto ineptissima tota ista narratio, quam etiam nunc a viris doctis aequo animo ferri iure miremur. Graecarum literarum cultores si in libris quos excutiunt eiusmodi aliquid invenissent, dudum, ut opinor, ab omnibus esset explosum. Quis enim, ut ex innumeris exemplis unum afferam, cum vitam Euripidis (Df. P. S. G. p. 15 sqq.) percurrens in haecce incidit:

λέγουσι δὲ ὅτι αἱ γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους, οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων, τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῶ βουλόμεναι ἀνελεῖν, ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διὰ τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν
non vel ridens vel indignabundus misellum grammaticum facessere iubet, qui quod facete iocatus est Aristophanes tamquam rem quae revera evenerit tradat?

Verum cautiorne et prudentior in proferendis iis quae fando audivit Tacitus esse solet? Immo vero in errores incidit non minus ineptos, quam ille est quem ex Euripidis Vita attuli. Quid quod *prorsus eodem modo* peccare potuit. Certe *semel* id ei accidisse iam pro certo constat. Hoc qui negat, eum fugit doctissima quaedam, ingeniosissima, ad legendum iucundissima Naberii nostri disputatio in Mnemosynés vol. 20 (A. 1892) p. 410 sqq. demonstrantis quaecunque de Sillii Messalinaeque nuptiis a Tacito traduntur *facta* esse nunquam sed *acta* in scena quadam, Messalina in hortis suis spectaculum edente quo Bacchi, Ariadnes, Penthei, Baccharum partibus viri mulieresque fungerentur nobiles.

De toto autem navigio isto nefario idem statuendum esse invitus testatur Dio Cassius (Xiphilinus) L. LXI c. 59 ita narrans:

ἐπεὶ δὲ ἐκ τοῦ προφανοῦς ὤκνου (ii qui Neroni matris occidendae dederant consilium) τὸ ἔργον καὶ κρύφα διὰ Φαρμάκων οὐκ εἶχον αὐτὴν ἀνελεῖν (πάντα γὰρ ἐκεῖνη ἰσχυρῶς ἐφυλάσσετο), ναῦν ἰδόντες ἐν τῷ θεάτρῳ διαλυομένην τε αὐτὴν ἐφ' αὐτῆς καὶ τινα θηρία ἀφιεῖσαν καὶ συνισταμένην αὐτὴν πάλιν ὥστε καὶ ἐρῶσθαι, τοιαύτην ἐτέραν ταχέως ἐναυπηγήσαντο.

At, o bone, non Neroni, Poppaeae, Senecae navigii struendi consilium subiecit istud spectaculum, sed *Taciti* ex eo nata est narratio, vel potius rumusculi inde orti sunt populares, quibus aurem praebuit Tacitus. Suspicio autem (nam quis in tanta rerum perturbatione pro certo quidquam statuat?) Vespasiani fere tempore in scena actam esse de morte Agrippinae fabulam ex eo genere quod hodierni homines „melodrama” appellant, in qua et navigium exhiberetur illi simile quod antea in aliquo amphitheatro spectatum fuerat, illam autem fabulam tunicato popello tantopere placuisse mentique eius inhaesisse ut opinio nasci posset revera hoc modo Neronem matrem suam de medio tollere esse conatum.

Levem esse suspicionem si quis contendit, non repugno: hoc tamen mihi constat *a scena in historiam* letale aberrasse navigium ¹⁾).

Omnino amat Tacitus quidquid animum vehementer percutit, quidquid horrendum est, atrox, dirum, et si ei aliquam rem duobus modis accipere et explicare licet, ut aut fiat ad intelligendum facilis, verisimilis, hominum respondens vitae, aut mira, insolita, incredibilis, metuendum non est ne hac narrandi ratione omissa illam probet. Ipsa illa de Sili Messalinaeque nuptiis narratio, quae tota quam parum credibilis esset egregie demonstravit Naberus, insigne praeterea illius studii continet exemplum. Vettius Valens, Pentheum ex Euripidis Bacchis imitatus (quod felicissimo acumine Naberus perspexit) in „praealtam arborem conititur” et interrogantibus, quid aspiceret respondit „tempestatem ab Ostia atrocem”, „sive” (ipsius haec Taciti verba sunt) „orta erat ²⁾ ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit”.

At in promptu est Vettii verba aliter interpretari; partibus ille haud dubieungebatur Penthei et communis erat laetitiae socius, sed sanae mentis plus servaverat quam ceteri omnes, intelligebatque aegre laturum Claudium hanc Messalinae „intemperiem”, qua contra legem ab ipso promulgatam fecerat, metuendumque esse ne omnes, qui cum illa nunc mimum agerent, mox poenas darent. Verbis ergo utitur quae Penthei quoque esse possint, sed quibus simul laetitiae co-

1) Dionis locum licet non afferat, tamen idem Nabero olim quod mihi nunc suboluisse videtur. Is enim in commentatione, quam, quia Belgice scripta est, minus quam par erat innotuisse viris doctis arbitror, eodem illo „melodramatis” utitur nomine. Legitur commentatio egregia, qua duorum librorum, a nostratibus conscriptorum et insigni dignissimorum laude (alter Oordtii est *de Constantino magno eiusque decessoribus*, Belgice scriptus, alter Karstenii *de fide Taciti*) censura agitur, in diario vernaculo c. t. De Gids A. MDCCCLXIX p. 477 sqq.

2) Sic enim legendum arbitror pro inepto *coeperat* quod traditum est.

mites instantis admoneat periculi: illos tamen Bacchi vis verum eorum sensum perspicere vetat. Non erat igitur cur Nipperdeius annotaret: „es ist merkwürdig, dass die nahe liegende Vermutung fehlt Vettius Valens habe so *ironisch* (cur autem *ειρωνικῶς*?) seine eigene Meinung über die kommenden Dingen ausgedrückt, und vielleicht ist dies ausgefallen (*forte lapsa vel consilio missa* oder *iacta vox*)”. Mihi enim „*notabilis*” videretur, si hoc loco, qui totus omni specie veri careat, tam prudens tamque probabilis suspicio inserta esset: cum contemptu, ut opinor, abiecisset eam Tacitus sicubi invenisset.

Scriptor autem, qui id habet quod levi plebeculae vitio dat poetarum nostratium Rex, ut

Dirior est quanto res quaeque, lubentius illam
Credere festinet tanto ¹⁾

carere ea virtute solet, quam in historico prae ceteris lepidissimus acutissimusque historicus Mueller-Strübing requirit: „ut iocum intelligat”. Omnino Tacitus a iocis est alienus: semel tantum in tot tantisque Annalium Historiarumque libris narrat aliquid quod paulo sit festivus, A. XIII, 54:

(Frisiorum legati) dum aliis curis intentum Neronem operiuntur, inter ea, quae barbaris ostentantur, intravere Pompei theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caveae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percontantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum; et quinam forent, rogitantes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut

1) In ipso „Palamedis” initio:

Het wispelturig volk, dat al te los van hoofd
..... 't ergste liefst gelooft.

fide ante Germanos esse exclamant, digrediunturque et inter patres considunt.

Sed praeterea quoties in rem incidit, quae cum risu narrari possit debeatque, summa eam profert gravitate, sic nonnunquam ultro indicans se rei rationem parum perspexisse. Exemplo esse potest quod l. XI c. 20 legitur:

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem (sc. insignia triumphii) adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit, at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. Quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum, precantium imperatorem, ut quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.

Perspicuum magis est quod legitur apud Suetonium Claud. 24: (Triumphalia ornamenta tam facile dedit) ut epistola communi legionum nomine exstiterit petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur ne causam belli quoquo modo quaerent.

Sed risum uterque movet magis quam qui unquam risum captavit, dum tamquam factum memorabile refert scurrilem petulantemque militum iocum. Nam iocus ille fuit, paucissimorum fortasse militum, haud dissimilis illi quo postea Traianum ludibrio habuerunt patres conscripti. Nam cum identidem literas laureatas a principe acciperent, neque pronuntiare vel memoria retinere possent barbara nomina gentium, quas a se devictas ille nuntiabat, senatusconsultum factum est: „ut Traianus de quot quibusque ipse vellet populis triumpharet” (Dio C. 68, 29).

Idem statuendum videtur de loco H. II, 91:

„Veniebat in senatum (Vitellius), etiam cum parvis de rebus patres consulerentur; ac forte Priscus Helvidius, praetor

designatus, contra studium eius censuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis vocavit: mox mitigantibus amicis, qui altiore iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit, quod duo senatores in re publica dissentirent: solitum se etiam Thraseae contradicere”.

Revera lepidissime iocatus est Vitellius urbanissimumque se praestitit, neque, ut opinor, tunc certe, erat cur quisquam *altiore* eius *iracundiam* vereretur. Quod autem Thraseam hic potissimum nominat, quocum olim disceptare sit solitus, nullam aliam ob causam illud fit quam quod ipsius Helvidii socer ille fuit. Admodum ergo inepte ab historico haec adduntur:

Irrisere plerique impudentiam aemulationis; aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus, sed Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset.

Tam severum scriptorem, tam parum aptum iocis vel intelligendis vel narrandis vix credibile est unquam populari illa loquendi ratione usum esse, qua saepe aliquod vocabulum ita ponimus ut quivis intelligat nos illud non quotidiano sensu suo sed potius contrario accipi velle: „ironice” tum loqui dicimur, parum quidem accurate, sed pervulgatus ille est vocis *εἰρωνεία* et earum quae cum illa cohaerent abusus. At semel tamen — aut ego quid sibi velit non intelligo — ita Tacitus quoque locutus est.

H. II, 30. De Caecina et Valente, Vitellianarum partium ducibus, haec narrantur:

„Aemulatio ducibus: Caecina ut foedum ac maculosum, ille ut tumidum ac vanum inridebant. Sed condito odio eandem utilitatem fovere, crebris epistolis probra Othoni obiectantes”.

Quid est *eandem utilitatem fovere*? Vertit Ritterus: „sie verfolgten dasselbe Interesse”. Sed verisimile non est Tacitum rem tam usitatam tam exquisitis appellasse vocabulis.

Et quaeenam utilitas, quodnam emolumentum in conviciis probrisque inest? Quid quod verbis *sine respectu veniae* totoque capite 31 Tacitus ultro declarat illas de Othone epistolas probrosas, si in bello civili Otho vicisset, fortasse auctoribus earum exitium allaturas fuisse. Ad vim coloremque verborum recte intelligenda viam monstrant suavissimi versiculi quidam in Ovidii *Metamorphoses*. Postquam poeta narravit apud Philemonem Baucidemque omnes cibos appositos fuisse in suppellectile fictili, haec addit:

post haec caelatus eodem
sistitur argento crater ¹⁾.

Eodem argento iocose poeta dicit pro: *argilla*, et *caelatus* pro *sine arte factus*. Itidem nostro Taciti loco *fovere* aliquid dicuntur homines incuriose et inconsiderate agentes, atque *utilitas* illa, quam „fovent”, est res non minus inutilis quam ea quae modo est commemorata, immo vero multo magis periculi plena. Neque tamen intercedo quominus sic fere locus vertatur, ut fecit Ritterus, vel Belgice: „ze behartigden net zoo'n belang”, dummodo qui ea vocabula recitat pronuntiandi acerbitate ea in contrarium detorqueat.

Duobus denique locis *in describendo* eiusmodi vocabulis usus esse Tacitus mihi videtur, quae legentibus imaginem ridiculam ponerent ante oculos. H. III, 10 Milites Antonii Primi Veronam vallo circumdant; hic subito novae legiones accedunt amicae, sed, dum procul etiam erant, hostium videbantur. Hic, ut fieri solet, milites prodicionem suspicantur, atque in Tampium Flavianum, pridem ipsis invisum involant omnes:

„Nec defensionis locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatens”.

1) Met. VIII, 668 Optime traditam lectionem Kornius servat. Coniecturae D. Heinsij *eadem* — *argilla* ne mentionem quidem facere satius erat

Non sine contemptu et derisione, ut opinor, dux ille nimis pavidus, qui identidem in genua procumbit, *humi plerumque stratus* dicitur. Hoc enim nisi Tacitus voluit, quomodo illud *plerumque* est accipiendum?

Apte conferri potest quod c. 63 eiusdem libri legitur:

„Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. In eundem modum et Mucianus composuit epistulas; quibus plerumque fidere Vitellius ac de numero servorum, electione litorum loqui”.

Nostris hic oculis videmus Vitellium, hominem ignavum et imperatoris nomine quam indignissimum (talem certe eum legentibus videri cupit Tacitus), anxie quid agat quaerentem, et nunc huc, nunc illuc convertentem mentem, sed ita ut maxime tamen promissis quietae lautaeque vitae alliciatur. Illa pavidi hominis trepidatio maxime illo *plerumque* depingitur.

VII.

Ad Pollium nunc redeo lepidamque eius de populari loquendi vitio observationem, quo saepe homines, dum quam plurima vocabula, suo cognata affectui, unum in locum congerunt, *argumenti* sui vim ultro infringunt. Iam unum certe apud Tacitum eiusdem vitii (si iam vitium dici potest quod ex ipsa hominis nascitur mente) exstare exemplum demonstravi (H. I, 33), dubitanterque de altero locutus sum loco (A. I, 4) ubi idem usu venire videretur. Tertium nunc locum addam, qui recte intelligi mihi non posse videtur nisi Pollii luce illustretur.

H. IV, 32. Mittitur ad Civilem a Romanis Montanus Trevir „ut absisteret bello neve externa arma falsis velaret”; at Civilis „ubi videt Montanum praeferozem ingenio paratumque in res novas” ultro eum ad belli allicit societatem, oratione habenda, quae in tres dividitur partes: *a.* Diras ego ulciscor iniurias a Romanis acceptas, quibus si vos fideles manseritis, mox idem quod ego experiemini. *b.* Virtus Germanorum vincere potest Romanorum multitudinem. *c.* Si tamen victi erimus, peior fieri conditio nostra non potest. Altera autem pars sic ab eo enuntiatur:

„En ego, praefectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus vel saepta ferro fameque premimus”.

Si „immensa illa castra” dixisset, multo maiorem haberet

argumentum vim; nam si *vana* sunt, id est *nullius pretii*, castra illa, ne res quidem a Civile gestae magni sunt pretii, neque quidquam de futuro promittunt bello: possunt enim aliae a Romanis mitti copiae multo robustiores multoque timendae magis. At, id quod plane eius naturae convenienter fit, ira sua et ferocia Civilis abripitur.

Et eodem fortasse modo accipiendum est quod A. XII, 44 legitur:

„Erat Pharasmanis filius Radamistus, decora proceritate, vi corporis insignis et patrias artes edoctus, claraque inter accolae fama. Is modicum Hiberiae regnum senecta patris detineri ferociusque iactabat quam ut cupidinem occultaret”.

Si veram hominum hereditates appetentium „logicam” secutus esset Radamistus, aliter esset locutus. Nam quo *maior* hereditas est eo gravius ferre hereditatem, quod ad speratas opes pervenire non possit, consentaneum est. Cf. XIV, 65: „veneno interfecisse (Nero) creditus est... Pallantem, quod *immensam* pecuniam longa senecta detineret”. At egregie ipsam hic naturam depingit Tacitus; querentem enim adolescentulum audire nobis videtur: „en ego quam fortis sim, quam cupidus gloriae bellique, quamque sit modicum Hiberiae regnum: tamen ne ad illud quidem accedere possum, pater grandaevus iamque decrepitus obtinet”. Respondere ei poterat vir disceptandi peritus: „si modicum, si parvum est illud regnum, patrem tuum illud obtinere aequo patere animo, aptum est humeris eius onus; tu potius alibi vires exerce, digniores te labores circumspecte”. Sed quid logicam curat morarum impatiens iuvenis? ¹⁾

Denique, quamquam non plane ex eodem est genere, apte

1) Furneaux quoque sensit esse in hoc loco insoliti aliquid, sed illud frustra tollere conatur.

hic locus tractari potest, qui legitur H. II, 76, nam ille quoque vitio laborat, sed vitio quod loquentis mentem egregie referat. Ut tandem aliquando imperium sibi fati destinatum accipiat Vespasianum monet Mucianus. „Satis diu” ait „quievisti et exspectasti, nunc audacter agendum est”. Haec ipsa sunt verba, quibus eum utentem facit Tacitus:

„Torpere ultra et polluendam perdendamque rempublicam relinquere, .sopor et ignavia videretur, etiamsi tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium”.

Hic primum reputandum est eundem Mucianum paulo ante dixisse: „a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi”, deinde cogitandum de praeclara Lucani sententia: „ad bellum fugitur”. Quid ergo Muciano dicendum est, si accurate loqui vult? Nempe: „non iam grata res est imperium, quam quis sibi expetat; sed actum de te est nisi ab imperio salutem petis” i. e. hisce ei est utendum verbis: „abiit iam et transvectum est tempus, quo posses *concupiscere*, confugiendum est ad imperium”. Sed affectati unquam imperii Vespasianum insimulare anxie cavet; atqui in verbis *posses concupiscere* inest quodammodo eiusmodi reprehensio, certe inesse eam suspicax homo credere possit. Hoc metuit Mucianus, hinc praeteritum illud *concupisse*, hinc, quod additur, *videri*.

Pollianae cognatam observationem protulit Pfitznerus ille, qui iam plus decem lustra utilissimam Tacito navat operam. Is enim nuper diario c. t. Zeitschrift f. d. Oest. Gymn. (A. MDCCC inde a p. 673) doctissimam inserendam curavit disputationem, qua et alia docere studet et Tacitum interdum vel sermonis vitiis, vel mira et insolita oratione, vel etiam erroribus ad historiam pertinentibus illorum loquendi genus notare vel perstringere quos in scenam inducit. Minime spernenda ea

est sententia, cuius memorem esse decet unumquemque qui Tacito dat operam, dummodo ne unquam ea utatur ad aperta nimiaque vel ipsius Taciti vel librariorum vitia defendenda vel excusanda. Quid enim tam est absurdum quod non hac ratione sanum integrumque videri possit? Ex exemplis autem, quae Pfitznerus affert, maxime insigne videtur, quod legitur A. XIV, 44: neque incredibile est hic verum Pfitznerum vidisse. Certe mira est ibi et contorta oratio, neque corruptum esse locum verisimile est: hoc enim qui putaverunt frustra in emendando eo desudarunt. Is autem qui loquitur ex eo genere est hominum quos obscure contortaque loqui non nimis miremur. Cassius, doctus iurisconsultus et antiquarius, extrema esse utendum adversus servos, quorum domini sunt occisi, severitate multis argumentis ubi demonstravit, postremo haec addit:

„Servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo si pereundum sit non inulti inter nocentes agere”.

Corruptus locus visus est Nipperdeio, sed lectione quam ille proposuit: „servis si pereundum sit, ni prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo non inulti inter nocentes agere”, nihilo fit expeditior; nam quod molestissimum est remanet: *ét* in nova lectione *ét* in vulgata *agere* dicuntur tam domini illi, qui domi suae sunt interfecti, quam ceteri omnes. Notari ergo hic a Tacito intricatam horridamque Cassii orationem Pfitznerus censet — neque fortasse iniuria: certe mihi nihil in mentem venit quod melius videatur.

Sed si omnino verum est quod Pfitznerus statuit (ego enim dubito etiam), fortasse unum afferre locum possum, ubi fiat illud: ibi autem et res de qua agitur et is qui loquens inducitur eiusmodi sunt ut suspicio illa non nimis longe petita videri possit. A. XI, 31. Omnibus modis Callistus, Narcissus,

Pallas, Messalinae exitium struentes, Claudium narrationibus, quas ipsi finxerunt de Siliii nuptiis, terrent et perturbant. Egredique iis res succedit, namque:

„Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset”.

Cf. Suet. c. 37: „essetne sibi salvum imperium”.

Haud dubie eodem redit quod Tacitus et quod Suetonius dicentem facit Claudium, sed verba, quibus illud Tacitus enuntiat, insoliti aliquid habent et, ut mihi quidem videtur, inepti; cum ea lego, semper mihi suspicio nascitur de industria sic scripsisse Tacitum ut nobis depingeret hominem omnino hebetem obtusaeque mentis, tum vero pavore plane exsternatum. Donatus aliquis si hic annotasset: „vide *μίμησιν* cum odio inductam et depravatam pronuntiatione”, equidem non obloquerer (v. ad Eun. vs. 155 sqq.).

Sed hoc certum est Tacitum interdum illud committere populare loquendi vitium quo duae res, cognatae quidem sed diversae, dum se simul loquentis menti offerunt, simul proferuntur et in unum contrahuntur, quo facto saepe contorti aliquid et intricati nascitur. Dabo locos maxime hoc nomine insignes.

H. IV, 38. Solito diutius naves, quae frumentum Africanum advehunt, morantur; pavidus hac re populus nihil non fingit creditque, sparguntur rumores pleni terroris,

„augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla unquam civilis victoria satiavit”.

Duae hic sunt distinguendae sententiae, quae nunc ita sunt permixtae ut separari nequeant: *a.* in bello civili, qui victores existunt, nunquam satiari possunt; *b.* praesertim de Flavianis illud valet militibus: illi enim externis bellis a Muciano et Antonio Primo praedae assuefacti iam didicerunt plura semper et maiora poscere.

Ann. I, 19. Tumultuantes Pannoniae milites in praesentia placavit Blaesus legatus: impetraverunt ab eo ut ipsius filius Romam mitteretur, qui postulata sua (vel potius partem eorum) ad Augustum perferret:

„Profecto iuvene modicum otium; sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa, quae per modestiam non obtinerentur”.

Λογικώτερον, ut opinor, hoc foret: „necessitate exprimi quae per modestiam non obtineantur”, nam revera nihildum milites „expresserunt” nisi ut iuvenis ille orator publicae causae mitteretur. Sed hinc dum generalem deducunt sententiam: „plus necessitate quam modestia proficitur”, simul sibi fingunt *impetratum iam esse* quod rogaturus etiam ille est, atque id generali illi sententiae innectunt.

Ann. IV, 62. Fidenae amphitheatrum corruit et ingentem spectantium multitudinem operit:

„Et illi quidem, quos principium stragis in mortem afflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere: miserandi magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat”.

Cruciatum aliquis subita morte *plane* effugit, et, si grammaticae rationem habemus, ineptum est eiusmodi enuntiato addere aliquid quod vim habeat minuendi (*ut tali sorte*). Sed Tacitus bimembrem hanc sententiam in unam contrahit:

ut tali sorte felices erant praedicandi: cruciatum enim effugere.

Simillimum est quod paulo post legitur c. 63:

„Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti; fuitque urbs per illos dies, quamquam maesta facie, veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant”.

Revera in illo *maesta facie* nihil est quod similitudinem illam imminuat; nam etiam post magna proelia non minus est moestitiae in urbe quam tunc post cladem, quae Fidenae

facta erat. Sed hoc vult Tacitus atque paulo contortius eloquitur: „quamquam moesta erat urbis facies, habebat tamen solatii aliquid: in mentem enim revocabat antiqua tempora quibus post magna proelia idem fieri solebat”.

Neque sunt diversi hi loci:

Ann. VI, 24:

„Drusus (Germanici filius) exstinguitur centurio (qui in carcere omnes eius voces exceperat) voces deficientis (ad Tiberium pertulit) quis primo quasi per dementia funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, meditatae compositasque diras imprecabatur, ut, quem ad modum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset e. q. s.”.

Post *nepotes* Ritterus inserit *necasset*: frustra, nam hic quoque duas res Tacitus in unam coartat structuram. Vulgatam lectionem egregie tuetur quod c. 41 legitur:

„Clitarum natio . . . in iuga Tauri montis abscessit locorumque ingenio sese . . . tutabatur . . . donec M. Trebellius legatus . . . duos colles, quos barbari insederant . . . operibus circumdedit et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad dediti-
onem coëgit”.

Id est: „erumpere ausos ferro trucidavit, ceteros siti ad dediti-
onem coëgit”.

VIII.

Pfitzneri commentatio illa, quam saepius iam, ut par erat, laudavi, a disputatione de codicibus Taciti incipit. Illius ergo exemplum me admonet ut et ipse pauca quaedam de illo argumento in medium proferam, rem, quam ego tangam tantummodo, aliis accuratius enucleandam relicturus.

Codices ergo illi, qui in editione Nipperdeiana alterius Annalium partis et Historiarum litera i significantur, per se nullius sunt pretii, nisi in iis locis ubi Mediceus alter lacunosus est, utpote qui vel ex ipso Mediceo, vel, quod Nipperdeius statuit, ex apographo quodam eius sint descripti. Omnino verissimum illud est, et tamen ne hic quidem „deteriores” illi impune abiici possint, utpote qui interdum aliquid servant quod unice verum sit, cum ipse Mediceus vitium ibi exhibeat, aut aliquid eiusmodi quod, etiamsi verum non sit, tamen ex ipso Mediceo eiusve apographo sumi non poterit. Breviter locos indicabo, qui mihi hoc nomine maxime notabiles visi sunt:

Ann. XI, 14. Claudius tres litteras adiecit, quae in usu imperitante eo, post oblitteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere *publico dis plebiscitis* per fora ac templa fixo. Sic Mediceus; lectio i: *publicandis plebiscitis*. Intelligi certe haec potest, ex Mediceo (vel eius apographo) nasci non potuit: coniectura est hominis exemplari suo non unice dediti.

Ann. XI, 16. Cheruscorum gens regem Roma petivit ...

uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus ... Igitur Caesar Augustus pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere.

Sic Mediceus, nisi quod nominis *Augustus* s finale e correctione natum est.

In editionibus rectissime nunc legitur *auctum*, sed praeclara haec coniectura ... debetur codici Gudiano.

Ann. XI, 18. Chauci, *milia* dissensione domi et morte Sanguinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere. Sic Mediceus; rectissime cod. Gud. *nulla*, sive quod in exemplari eius illud fuit, sive quod critici satis acuti manum expertus hic est,

Ann. XI, 20. (Corbulo subito e medio labore revocatus) nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. *Vi* tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque XXIII milium spatio fossam perduxit.

In codd. „deterioribus” vera lectio *ut* invenitur.

Ann. XII, 47. (Rex Mithridates ab adversario per dolumprehenditur et vincitur). Ac compede, quod dedecorum barbaris ¹⁾, trahebatur; *mox quia* ²⁾ vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat; et erant contra qui e. q. s.

Locum perturbatum in ordinem redigit codex Gudianus praebendo *moxque*.

Ann. XIII, 8. Corbulo ... corpore ingens, verbis *magnificis* et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.

Mihi multo praestare deteriorum lectio *magnificus* videtur. Certe non ideo reiicienda est *quod* in deteriori codice legitur.

Ann. XIII, 26. (In senatu cum ageretur de ingratis libertis, et quidam censerent patronis dandum esse ius in servi-

1) Satis inepte addita haec sunt: an ergo apud Graecos Romanosque in honore illud ponitur?

2) In Med. est: *mox qa*, lineola fortasse post appicta.

tutem eos retrahendi, Nero inter paucos quid videretur consultavit. Horum unus et alter paulo severior clamabat:)

tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. Nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint: at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coerceantur, quos beneficia *non mutavissent*.

Sic Mediceus, perperam: non enim *mali* servi manumittuntur ut meliores fiant, sed optimi tantummodo („qui sunt liberali ingenio“), spe in perpetuum tales eos futuros. Multo ergo rectius *commutavissent*, quod suasit Madvigius et ... praebent „deteriores“. (Utrique tamen lectioni forsitan praestet simplex *mutavissent*).

Ann. XIII, 48. Auditae Puteolanorum legationes, quas diversas *ordo plebs* ad senatum miserant.

Pro asyndeto *ordo plebs*, quod certe huius loci non est, recte altera Medicei manus et quidam inferiores: *ordo plebsque* habent.

Ann. XV, 59. (Ad forte facinus Pisonem socii adhortantur et aliis argumentis et hoc):

Frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus *sperare*: cruciatui aut praemio cuncta pervia esse.

Unice verum videtur quod deteriores habent: *sperari*.

H. II, 37. (Quod attinet ad id quod nonnulli tradunt, cogitasse Vitellii et Othonis milites de armis ponendis et bono aliquo imperatore eligendo, mihi credibile non videtur:)

legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque *meritis* suis principem passuros.

Utique cum „deterioribus“ legendum *moribus*. Obstrictum enim *meritis suis* principem etiam vel optimi sibi expetunt, at *moribus* suis obstrictum principem velle malorum est.

H. II, 53. Novae narrationis sic fit initium:

Notabile *virgenium* fuit quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem invasit.

Pro corrupto *virgenium* Bekkerus *iurgium* coniecit. Satius erat e „deterioribus” recipere: *inde iurgium*.

H. III, 25. Postquam impulsos sensit (hostes) Antonius denso agmine *obturbabat*. Laxati ordines abrumpuntur. . . . Sparguntur festinatione consecrandi victores.

Recipienda est deteriorum lectio *obturbat*.

H. III, 51. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit; nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat: *distulerant* tamquam maiora meritum quam quae statim exolverentur.

Illud *distulerant* tam contortam requirit explicandi rationem ut etiam atque etiam deliberandum videatur nonne praestet a deterioribus accipere *distulerunt* quod ipsa flagitat narrationis natura.

H. III, 69. Igitur tamquam omnis respublica in sinum Vespasiani *cecississet* e. q. s.

Sic Mediceus, recte nunc editur *cessisset*. At deteriores habent *cecidisset*: verisimile ergo est hic illos non a Mediceo pendere, sed illius exemplum duplicem habuisse lectionem *cessisset* et (supra scriptum) *cecidisset*, quae in Mediceo coaeruerit in *cecississet*, cum altera familia, cui hac certe in re cognati deteriores, *cecidisset* reciperet.

H. IV, 7. In iurgio inter Marcellum Eprium et Helvidium Priscum hic contendit:

Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea Sorano *Sentio*; quorum accusatores etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere.

Non ignoti hominis hic requiritur nomen, sed nobilis alicuius delatorum victimae, nullumque tam aptum quam *Senecae*, quod praebent deteriores.

H. IV, 22. Spem oppugnantium (Germani hi sunt castra

Romana oppugnantes) augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum *Romanorum* tuebantur.

Ineptum emblemata *Romanorum* non est in deterioribus.

Addi possunt his innumeri loci, in quibus emendandis iam cum „deterioribus” illis dudum editores consentiunt, et fortasse operae pretium fuerit diligentius etiam unum et alterum illorum excutere codicum, si forte alia ibi lateant, quae a recentioribus criticis nondum sint inventa, cum tamen Lipsiis et Madvigiis indigna non fuerint. Sic demum apparebit, quod et ipse pro virili parte demonstrare conatus sum prudentis esse critici: „inde bonum, reperitur ubi, sibi sumere semper”.

Nunc autem — id quod cognati est argumenti — unum et alterum locum afferam, ubi tradita lectio sit retinenda, cum ad eos emendationes sint propositae, quae aut ab editoribus receptae iam sint, aut magnam, primo certe aspectu, habeant veri speciem. Haud enim inutile videtur *cur* reiciendae illae sint paucis demonstrare.

A. XI, 2. Ipsa (Messalina) ad perniciem Poppaeae festinat, subditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Caesare, ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur, cur sine uxore discubisset, atque ille functam fato responderet.

Pro *responderet* Acidalius *respondere*, Ritterus *respondet*, Ernestius *respondit* coniecerunt. Quas coniecturas cum commemorent editores, haud iniuria de tradita lectione dubitari significant. Nihil tamen certius quam unice veram eam esse. Etiam responsum Scipionis demonstrabat quam ignaro Caesare tota illa res acta esset. Qui? quaeris. Ex ipso Caesaris vultu efficiebat Scipio ignarum esse rei Caesarem; intelligebat ergo tantummodo cavendum sibi esse ne responso suo Messalinam eiusque canes irritaret. Si vero aliquo modo su-

spicari potuisset permissu iussuve Claudii uxorem suam ad mortem compulsam, homo pavidus ignavusque „poenas dedit” vel aliquid eiusmodi respondisset.

A. XI, 9. (De Parthorum imperio certamen est inter Gotarzem, regem crudelissimum, et Vardanem, fratrem eius, quem ipsi Parthi contra eum accivere, iamque copias suas uterque in campum eduxerunt):

»At Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente iaciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit”.

Pro *iaciunt* Agricola proposuit *iciunt*, Lipsius *faciunt*, et alterum ab hoc, alterum ab illo editore recipitur. Et tamen minime sollicitanda hic erat lectio tradita: unice enim vera ea est, coniecturae autem istae *iciunt* et *faciunt* ridiculi habent aliquid. Quid enim? Stant parati ad pugnam . . . et subito *foedus iaciunt*, i. e. foederis faciendi iniiciunt mentionem. Nonne hoc verisimile, nonne et res et verba ipsi conveniunt naturae? *Subito* de foedere *iniicere sermonem* possunt etiam qui iamiam conserturi manus sunt; at nullum foedus *repente fit*: ad eam rem cerimoniae sunt peragenda, quae suas sibi afferunt moras; festinari nunquam foedus potest, sed minime tunc apud Parthos potuit illos, qui: „*congressi primo cunctanter*, dein complexi dextras, apud *altaria deum* ¹⁾ pepigere” e. q. s.

A. XV, 48. De Pisone et alia et haec narrantur:

Procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia; lenitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat.

Pro *lenitati* Ernestius coniecit *levitati*, eamque coniecturam probat Furneaux hoc argumento quod lenitas *vitium* non sit. At ne *magnificentia* et *luxus* quidem, *per se spectata*, vitia

1) Quae certe non aderant in campo ad proelium electo; illorum causa ad aliquam urbem iter faciendum erat aut, ut minimum, redeundum in castra.

sunt; verum plane se iis dedere et *indulgere* vitium est. *Lenitati indulgere* optimum praebet sensum: est ea res cognata illi quae supra his verbis est significata: „largitionem (exercebat) adversus amicos et ignotis quoque, comi sermone et congressu”; hoc unum interest quod sic describitur homo *lenis adversus alios*, at qui *lenitati indulget* is etiam adversus *se ipsum* suaque vitia lenis est.

H. I, 33. Qui Galbae suadent ut quam primum Othoni eiusque conatibus occurrat, et alia et haec disputant:

„Obsidionem nimirum toleraturos; et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. *Proinde* ¹⁾ intuta quae indecora”.

Pro *proinde* Nipperdeius coniecturam suam *perinde*, tamquam certam, in textum recepit. Sed *intuta quae indecora* dicere aliquis potest, *perinde* additum absurda illa verba reddit. Contra „*proinde intuta quae indecora*” egregie dictum est, hoc facile annectitur praecedentibus, et, quoniam *adhortandi* vim habet (cum imperativis enim plerumque *proinde* iungitur), aptissimum tempori locoque est; conferatur quod continuo sequitur: „vel, si cadere necesse sit, *occurrendum* discrimini”.

H. I, 42. „Titum inde Vinium invasere (victores Othoniani). De quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum ut occideretur. Quod seu *finxit* formidine, seu conscientiam coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaue inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cuius causa erat”.

Pro *finxit* Nipperdeius *siluit* edidit; perversissime. Nam primum hic Tacitus id facit quod indoles eius fert, ut, cum duarum rerum alterutram eligere possit, illam praeferat et

1) In codice plenis literis *proinde*, non *pinde* legitur.

revera evenisse statuat, quae tragici plus habeat. Tum tradita lectio optimum hunc praebet sensum: sive finxit illud „non iussit Otho”, sive de coniuratione vocem aliquam mittens semet ipsum tamquam conscius eius indicavit. At ista omnia Nipperdeiana coniectura pereunt. Praeterea, si *siluit* legimus, quid isto *quod* faciamus?

H. I, 44. „Plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die (sc. qua Galba Pisoque sunt occisi) operam Vitellius postea invenit; omnesque conquiri et interfici iussit, non honori Galbae, sed tradito principibus more, munimentum in praesens, in posterum ultionem”.

Pro *munimentum ad praesens, in posterum ultionem* ingeniosissime Muretus proposuit: *munimentum in posterum ad praesens ultionem*. Et tamen ego illam coniecturam reiiciendam censeo, non quod parum aptum huic loco sensum praebet, sed quia vulgata quoque lectio egregie consilium quoddam Vitelli refert, idque minime absurdum: in praesentia Vitellius sibi munimentum et securitatem parabat, homines cuivis imperatori infidos de medio tollens, et in posterum sperare sic poterat, si ipse quoque aliqua prodicione cecidisset, mortem suam inultam non fore: videri enim poterat non sibi solum prospexisse sed et successorum securitati et omnino imperatoriae potestati.

H. II, 20. „Uxorem eius (Caecinae) Saloninam, quamquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tamquam laesi gravabantur”.

Pro *insignis* Puteolanus *insigni*, quae coniectura tantum abest ut sit necessaria ut sententiam conturbet; nam *insigni equo vehi* aliquis recte dicitur, *insigni ostro vehi* subridiculum est.

H. III, 64. „At primores civitatis Flavium Sabinum, praefectum urbis, secretis sermonibus incitabant victoriae fama-

que partem capesseret Id Sabino convenire ut imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur”.

Pro *reservaret* Iacobus proposuit *reseraret*, quae haud dubie ingeniosissima est coniectura, sed ut huic loco apta magnopere vereor. Non etenim Sabinus admonetur ut aliquam rem faciat quae Vespasiano sit profutura, sed potius ut aliquo modo declaret quid ipse sentiat de republica: palam eum Vespasiani partes amplecti cupiunt primores illi; quod si fecerit, fratri reservabit imperium i. e. imperii sedem, urbem Capitoliumque.

H. IV, 46. (Militiam repetunt a Muciano non solum qui olim pro Vespasiano pugnaverant, nunc dimissi erant, sed etiam ipsi Vitelliani; et morem quidem gerere omnibus Mucianus cupiebat):

sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat.

Multis modis haec sollicitarunt critici: hic post *pecunia* inserit *terrebat*, ille praeterea *si* addit (pecunia terrebat si tanta), accedit tertius qui pro *si* legere malit *qua*. Omnes, si quid video, soloecam efficiunt orationem; quin frustra desudent non dubito; nam *posse* et *debere* hic in unum contrahuntur, paulo quidem intricatius sed plane Taciteo more. Sic enim divellenda atque explicanda est verborum traditorum sententia: ut *posses* tantam vim hominum *retinere*, immensa *erat habenda* pecunia. Nos quoque saepe eodem fere modo loquimur.

H. IV, 60. „Germani incautum agmen adgrediuntur: pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere; ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane Civili et increpante Germanos, tamquam fidem per scelus abrumperent. Simulata ea fuerint an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis castris faces iniciunt; cunctosque, qui proelio superfuerant, incendium hausit”.

Incautum illud agmen Romanorum est quibus fide data Civilis incolumes abire e castris, quae iam ultra defendere nequeunt, permittit. Hic totum illud: *querente sane adfirmatur* Haasius post *hausit* ponit. Nunquam quidquam vidi perversius; *simulatque* Germanos contra fidem datam facientes conspicit Civilis queri incipit, sive simulatus ille dolor est, sive revera invito ipso saeviunt Germani. Illud vero quid sibi voluisset, si tum demum ob perfidiam suorum lamentatus esset Civilis, cum et castra et cuncti, qui inerant, Romani interiissent? Tum demum si dolorem *fingeret*, quinam eo erant decipiendi; si *verus* fuit dolor, quid faciebat cum perfide agere incipiebant Germani? Tacitusne adstabat et horrendum facinus contemplabatur quietus?

H. V, 17. (Ante proelium Civilis orationem ad milites habet et alia admonens et haec):

Ne terrentur vario Trevirici proelii eventu: suam illic *victoriam* Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt Illum diem aut *gloriosissimum inter maiores* aut ignominiosum apud posteros fore.

Pro *victoriam* Acidalius *avaritiam*, Herbstius *incuriam* proposuerunt. Equidem flosculum vere Taciteum servandum censeo. Quod ad *gloriosissimum inter maiores* attinet, agnosco hic liberiore illi superlativi usum, e Graecis scriptoribus tam bene notum (δ ἄριστος τῶν πρότερον vel τῶν πρώτοις): dies gloriosior quam ullus maiorum nostrorum tempore fuit. Quominus *inter maiores* deleamus obstat positivus *ignominiosus*; non enim recte haec inter se iuncta videntur: *aut gloriosissimum aut ignominiosum apud maiores*. Nipperdeianum vero *in maiores* pro *inter maiores* quid sibi velit prorsus me latet.

Ann. IV, 5 (in enumeratione copiarum quibus imperium Romanum utitur):

Apud idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium, sed persequi

incertum fuit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando minuerentur.

Lipsianum *fuert* pro *fuit* ideo recipere quod XV, 41 legatur *haud promptum fuert* perversissimum est. Hoc vult Tacitus: *auctores*, quos sequor, accurate illarum copiarum inire numerum *non potuerunt*. Soloecismus videtur: incertum *fuert* cum *mearent*.

Ann. VI, 35. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas sinerent impetu et cominus praeveniendum.

Hic ego Beroaldi coniecturam *inirent* pro *sinerent* minime probandam censeo. Hoc enim Sarmatae clamant: „obviam eundo hostibus et impetu faciendo prohibeamus quominus proelium totum sit sagittariorum”. Maiorem distinctionem, quae vulgo post *sinerent* ponitur, removendam arbitror.

IX.

Agam nunc de locis quibusdam, ubi ab uno vocabulo pendent omnia, cuius vero sensu non accurate perspecto aut iniuria sit interdum sollicitata lectio tradita aut perversa proposita coniectura, aut parum intellectum Taciti consilium, denique aliquis levior graviorve commissus error; plerumque tamen hic coniecturis quibusdam refellendis dabo operam, quae mihi aut videantur inutiles aut id in textum inducere quod noluerit Tacitus.

Ann. XI, 2. „Neque data senatus copia (sc. Valerio Asia-tico, in quem calumniatores immiserat Messalina et irata ipsi et hortis eius inhians): intra cubiculum auditur, Messalina coram, et Suillio corruptionem militum, quos pecunia et stupro *in omni flagitio* obstrictos arguebat, exin adulterium Poppaeae, postremo mollitiam corporis obiectante.”

Sic Mediceus; recipitur plerumque Rhenani coniectura *in omne flagitium*, iniuria, ut mihi videtur. Non enim hic agitur de aliquo Valerii consilio, *cuius causa* milites ille obstrinxerit, sed de *condicione*, in quam milites adduxerit pecunia scortisque praebendis. Et qui illud in *omne flagitium* probant, de facinore aliquo forti et periculoso, quod cum militibus suis perpetrare voluerit Valerius, cogitare videntur, cum e contrario vox illa *mollitiam* potius significat et quamvis pravitatem, quae neglecta disciplina militari in exercitu existere soleat. Hunc errorem evitavit Dio LX, 29, qui de militibus ad impudicitiam a duce plectis hic agi putavit, sed alium

commisit errorem, quem Tacitus verbis *mollitiam corporis* refutat. Sic sponte ad leniorem adducimur emendationem quam Rhenani illa est: *omni flagitio obstrictos* (omisso *in*): dicebantur ab accusatore milites, quibus tam facilem se praestitisset Valerius, vitae molli et minime militari *ita assuefacti ut iam divelli inde et ad bonam frugem reduci non possent*. Hoc est *obstrictus alicui rei*, hoc etiam H. II, 37 requiritur, ubi Mediceus habet: „(non credo) legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque *meritis* suis principem passuros”, sed cum deterioribus *moribus* legendum esse demonstrare sum conatus: pravi illi et corrupti duces non alium imperatorem sunt passuri quam qui *suis moribus obstrictus* i. e. eidem addictus pravitati sit.

XI, 3. Liberum mortis arbitrium Valerio permittendum censet Vitellius et „eandem clementiam” ipse quoque suadet imperator:

„Hortantibus dehinc quibusdam inedia et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait, et usurpatis, quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus . . . venas exsolvit.”

Quid est *remittere beneficium*? Interpretes sic accipere videntur ut sit: beneficio *non uti*. At cui haec clementia liberi mortis arbitrii data est, ea *non uti* non potest: quocumque modo moritur, ipse illius mortis auctor fit; ille etiam qui (XVI, 9) restitit percussoribus et pugnans cum armatis tamquam in acie cecidit, tamen illam mortem elegit ipse. Opponuntur inter se *remittere* et . . . *intendere*: *intendit* quicumque ad extremum usque finem in aliqua re perseverat, *remittit* qui parce et modice agit ¹⁾. Si fecisset Valerius id quod

1) Praeclarum exemplum, simulque firmissimum meae interpretationis argumentum, praebet Sen. Ep. 71, 19: „hoc nec remitti nec intendi posse”.

amici suadebant, ut aliquot dies ad moriendum sumeret, beneficium *intendisset* i. e. plane abusus eo esset; nunc, dum mortem sibi consciscit illo tempore usitatissimam et brevissimam, *remittit beneficium* i. e. parce et verecunde eo utitur. Cf. A. I, 8: „Conclamant patres corpus (Augusti) ad rogam umeris senatorum ferendum. *Remisit* Caesar e. q. s.” i. e. nimios illos honores minuit.

Ipse ille locus (XVI, 9), quem modo commemorabam, ab inutili coniectura vindicari potest, si memores sumus quid revera sit *remittere* et quae accurata eius verbi interpretatio.

„Silanus” (ait Tacitus) . . . „municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. Illic — a centurione ad caedem misso corripitur; suadentique venas abrumpere animum quidem morti destinatum ait, sed non *remittere* percussori gloriam ministerii.”

In codice est quidem *permittere*¹⁾, sed (sic certe Ritterus refert) correctum in *remittere*, deteriores *permittere* habent, e coniectura, ut opinor, eaque vetustissima; nam cum *remittere* Tacitus scripsisset, suprascripsisse aliquem *permittere* suspicor, unde illud *permittere* natum sit. Et etiamnunc coniectura illa identidem fautores invenit, non reputantes quam ineptum illa Silanum reddat. An putemus iuvenem illum, quamvis praevalidum, serio credidisse inermem se armatos milites cum centurione victurum, et prohibiturum quominus ministerio suo fungerentur? Et ut iam faciamus illud eum credidisse, quid sibi vult istud *gloriam*? „*Non remittam*” ait „*gloriam ministerii* sed intendam illam et augebo; faciam ut cum quam maxima gloria ministerio vestro perfungamini, corpus meum quantum potero defendam et sic facultatem vobis praebebo ad forte edendum facinus: tamquam in acie pugnabitis”.

1) Apparet tamen aliquid ibi turbatum esse.

A. XI, 22. „Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur. (Sequitur longior locus de quaestoribus eorumque numero sensim aucto). Post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Et quamquam equites iudicia recipravissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venumdaretur”.

Locus impeditior videtur quam revera est. Memores modo simus *aut* apud Tacitum non eam habere emphasin quam habeat apud Ciceronem, sed fere esse: modo — modo, nunc . . . nunc. Cf. c. 38 „(Messalina) tunc primum fortunam suam introspevit ferrumque accepit, quod frustra *iugulo aut pectori* admovens ictu tribuni transigitur”; i. e. *modo iugulo modo pectori*. Sic et hic *distinguuntur* aetas liberae reipublicae post Sullam, et aetas imperatoria ante Dolabellae legem: stante republica ex dignitate candidatorum concedebatur quaestura, post amissam libertatem ex facilitate tribuentium (i. e. principum). Postremo hic quoque utamur observatione nostra (v. p. 52 sq.) de binis sententiis a Tacito in singulas coartatis, apparebit loci argumentum sic decurrere: „quamquam iudicia, adempta senatoribus, reddita sunt equitibus, numerus tamen quaestorum imminutus non est, ergo semper fuit honor ad quem haud ita difficulter homines perveniebant; certe nulla constabat pecunia sed primum (stante republica) ex dignitate candidatorum, post (aetate imperatoria) ex facilitate tribuentium concedebatur”.

Cf. Ann. IV, 48. „Mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes lascivia epularum, aut somno et vino procumbere”. Errat editor, qui hic post *stationes* virgulam ponit, et sic res prorsus easdem inter se opponit. An quidquam interest inter *lascivia epularum procumbere* et *somno et vino procumbere*? At si virgulam, id quod recte ceteri faciunt

editores, post *epularum* ponimus, et recordamur quam parum sit emphatica apud Tacitum particula *aut*, aptissimam hanc nanciscimur sententiam: modo prae epulis suis stationes omittebant, modo illo tempore iam ebrii procumbebant.

Ann. XI, 28. (Allato rumore de nuptiis istis Sili Messalinaeque, Claudii liberti, suae metuentes potentiae, acerbissime in Messalinam invehuntur):

„Subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum multasque mortes iussu Messalinae patratas. Rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream; sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur utque clausae aures etiam confitenti forent”.

Hic omnia confunduntur, neque ulla agnoscitur cogitationum deliberationumque series, nisi quid sit *sine dubio* tenemus: *concedentis* illud est. Sic enim disputat Tacitus: „si quis me roget: nonne ergo Messalinam liberti isti metuebant, respondeam: profecto metuebant eam, sed e. q. s.”

Quod autem ad illud *utque* pertinet, brevitate Tacitea positum censet Nipperdeus hoc sensu: „et quod efficiendum esset ut ...”. Sed tam contorte locutum Tacitum vix credibile, atque istud *et quod* parum aptum est vinculum ad sequentia annectenda praecedentibus. Ergo sic potius locum explicem ut dicam in voce *discrimen* esse *metus* notionem, ergoque *utque* esse i. q. *et ne non* ¹⁾. Hoc igitur dicit Tacitus: „in eo discrimen vertebatur si defensio audiretur, (hoc metuebatur) ne non clausae aures etiam confitenti essent”, sive: „*ne paterent* aures Claudii etiam confitenti”. Optime inter se opponuntur *si defensio audiretur* et *etiam confitenti* i. e. non se defendenti sed simpliciter confitenti et nil nisi veniam petenti. Hic erat omnis libertorum metus: ne nancisceretur

1) Cf. Sen. Ep. 19, 6: „Sollicitus est ut e. q. s.

Messalina facultatem hebetem sibi que devinctum maritum quocunque tandem modo alloquendi.

A. XII, 22. „Agrippina . . . Lolliæ infensa . . . molitur crimina et accusatorem . . . exim Claudius inaudita rea multa de claritudine eius apud senatum praefatus . . . addidit perniciosa in rempublicam consilia et materiem sceleri detrahendam: proin publicatis bonis cederet Italia”.

Hic quid sit *addidit* vix quisquam dubitare potest: Claudius, ut Lollia non poenam passa sed clementiam experta videretur, primum de nobilitate eius praefatur, deinde *in sententia dicenda sic perrexit* ut crimina ei obiiceret. Sed videamus nunc quod XVI, 17 legitur: (tamquam Pisonis conscius et Annaeus Mela accusatur; ille autem):

„quae tum promptissima mortis via, exsolvit venas, scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis tamquam de iniquitate exitii querens ita *scripsisset*, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufrium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi”.

Sic codex, et possunt haec utcunque intelligi, dummodo *ét* ante *tamquam* *ét* post *scripsisset* virgula ponatur. Sed vel sic plusquamperfectum *scripsisset* vix ferendum videtur, et totum illud *additur tamquam scripsisset* nimis contorte est enuntiatum. Nihil vero perversius quam lectio *scripsisse*, quam nonnulli probant, verbo *additur* eam praebentes structuram, quam *dicitur*, *fertur* simm. habere solent. Miror equidem neminem, cum de *codicillis* aliquid legisset et deinde in *addendi* verbum incideret, *de altera codicillorum parte*, quam *addiderit* Mela, cogitasse. Sed excipiendus hic Draegerus, qui totum illud *tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset* delendum censet, quae coniectura, quamvis mihi arri-deat, paulo tamen violentior videtur. Ergo expunctis tan-

tummodo verbis *ita scripsisset*, quae tam languida sunt ut in nullo scriptore nedum Tacito ferri possint, pro *additur* legendum censeo *addidit* vel potius *addit*, quod quam facile in *additur* corrumpi potuerit quisque videt; quo vitio semel commisso, ut tamen aliquo modo cohaereret sententia, istud *ita scripsisset* postea est insertum.

Ann. XV, 59. „Immotus his (amicorum admonitionibus Piso) et paululum in publico versatus, post domi secretus animum adversum suprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat: nam vetus miles timebatur *quamquam* favore imbutus”.

Sic Mediceus, sed haud dubie verum vidit Rhenanus, qui *tamquam* proposuit. Quid enim? Erga utrum militum *favor* esse et cogitari potest, erga ducemne suum, rite creatum riteque ipsis praepositum, an erga eum, qui fidem eorum sollicitare studet? Equidem non dubito quin inepte milites *imperatorii suo favere* dicantur, sed recte *favere* dicuntur ei, qui *largitione* utitur *adversum amicos et ignotis quoque* (c. 48); illam autem e militibus ii soli experiri potuerunt, qui iam aliquamdiu in castris erant. Cf. H. II, 85: „*tertia legio exemplum ceteris legionibus praebuit* (sc. ad Vespasianum transgrediendi): octava erat ac septima Claudiana, *inbutae favore Othonis*”. Otho enim ubique apud Tacitum non verus ac legitimus legionum atque totius imperii dux est, sed turbidus homo qui a legitimo imperatore Galba partem militum haud bonis artibus ad se allegerit. Et tamen hunc ex Historiis locum quidam afferunt ad vocem *quamquam* nostro Annalium loco tuendam. En quo ducere possit homines novicium istud studium quamvis certis obloquendi emendationibus! De duobus aliis vocabulis, quae et ipsa ad modestos et seditiosos cives militesque pertinent, neque satis accurate intelligi solent, mox agemus.

Coniunctionem *nam* et ab aliis scriptoribus et a Tacito saepe

illi inservire figurae, quae *praeteritio* dicitur, norunt omnes, neque tamen ubique a viris doctis observari illud videtur. Velut hic est locus de morte Paulinae, Senecae uxoris (A. XV, 64):

„At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, iubet inhiberi mortem. Hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam”.

Dubium non est quin illo *nam* significet Tacitus se spernere et contemnere istos maledicae multitudinis rumores. Sic enim pergit: „cui addidit paucos annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem alben-
tibus, ut ostentui esset *multum vitalis spiritus egestum*”¹⁾.

Sed ad bene intelligendam Taciti mentem iam satis est recte interpretari coniunctionem *an*. Etenim *incertum an* ita ut *haud scio an* non est *dubitantis* sed *affirmantis* (cf. Nipp. a. h. l.). Hoc ergo dicit Tacitus: „in vita servi ac liberti Paulinam retinuerunt, cum iam quid ageretur, utpote morti proxima, nesciret. Nam quod vulgus perhibet . . . id ego nihili facio”. Quid sibi velit Furneaux hac annotatione: „the expression *incertum an* appears to be usually affirmative, and to suggest a probability rather than a doubt; and although the context here points the other way e. q. s.” non assequor.

Propter particulam *nam* et hunc inspiciamus locum H. I, 89:

1) Frustra meam opinionem impugnare videtur Andresenus hoc argumento: „es folgt nicht: denn an das Gerede der Menge glaube ich nicht.” In ipso *nam* „praeteritivo” talia inesse solent. Et dicat vir praestantissimus quo modo totus locus sit accipiendus, si *nam* hic *non* indicat praeteritionem. Quominus *incertum an ignarae* cum Andreseno vertamus: „der wahrscheinlich bewussten” non intercedo: egregie illud ad meam loci interpretationem quadrat.

„Sed vulgus — sentire paulatim belli mala — quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo Divus Augustus ... (sequuntur quaedam de rerum statu imperantibus Augusto Tiberio Caio Claudio Nerone, deque Neronis fine). Tum (sc. Othone et Vitellio de imperio certantibus) legiones e. q. s.”.

Sic ergo ratiocinatur Tacitus: „tum demum veri belli mala populus sensit, quae quamdiu in Gallia contra Vindicem pugnabatur, ad urbem usque non penetraverant; de tempore quod fuit inde ab initio Augustae aetatis usque ad Neronis finem *taceri hic potest*: nullum enim tum bellum fuit”.

Unum animi causa locum addo, ubi egregie perspicuitati consultum fuisset, si praeteritionis causa eadem usus esset coniunctione Tacitus, sed qui nunc satis obscurus evasit, cum aliter sit conformatus; Ann. III, 64:

„(propter Liviae valitudinem) supplicia ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut fetiales quoque iis ludis praesiderent. Contradixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam fetialibus hoc maiestatis fuisse. Ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur”.

Quoniam Tiberius sic Apronium refutat: „noli hoc argumento uti quod et Augustales hic a me adiecti sint summis sacerdotibus: hoc est sacerdotium proprium eius domus, pro qua vota persolvuntur”, multo melius eum intelligerem, si sic Tacitus scripsisset: *nam Augustales ideo adiectos e. q. s.*¹⁾.

1) Praeteritionis, quae coniunctione *nam* fit, nullum est apud Tacitum luculentius exemplum quam quod XIII, 37 legitur: „Corbulo ... dispertit vires, ut legati praefectique diversos locos pariter invaderent (sc. Armeniam). Simul regem Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere. Nam Pharasmanes

Ann. XV, 65. „Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus ¹⁾ claritudine virtutum ad summum fastigium delecto”.

Ad hunc locum illustrandum mira quaedam disputat Nipperdeius de consciis sontibus et insontibus. Aliquanto melius locum sic accipit Furneaux: „quo facto ipsi *insontes viderentur*, utpote qui ipsum quoque occidissent Pisonem, et virorum probissimo clarissimoque tradere imperium”. Sed hoc quominus illam interpretationem probemus obstat, quod nunc *quasi* iungendum est cum solo *insontibus*, cum tamen magis etiam ad *claritudine virtutum delecto* pertineat. Et omnino cum adiectivo *insons* hic Tacitus utitur, illud simpliciter atque aperte τῷ *consciis opponit*: alii sunt sontes (conscii coniurationis) alii *insontes* (coniurationis non participes). Unice vera ergo est atque adeo necessaria Acidalii correctio *insonti et* (pro *insontibus*): imperium Senecae delatum nemo non mortalium esset probaturus: insons enim ille erat neque sanguine aspersus, praeterea claritate virtutum summo dignus fastigio.

A. XVI, 19. De Petronii vita ante acta postquam quaedam narravit Tacitus, qui Neronis sit factus amicus demonstravit, denique cur et quo modo a Tigellino tamquam conscius Pisonianae coniurationis accusatus sit exposuit, sic pergit:

„Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic *attinebatur*. Nec tulit ultra timoris aut spei moras (sequuntur de morte eius ea quae vulgo nota)”.

interfecto filio Radamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat”, i. e. Pharasmanem admonere opus non erat: sponte ille et libenter bellum Armeniae inferebat.

1) In codice est *insontib;* et signum; quidem est a manu recentiore.

Hic *attinebatur* sic explicat Furneaux: „deprehensus erat et custodiebatur”, parum recte, si quid video. Non enim sic nude *attineri* dicitur qui vinclis, carcere, custodia coërcetur¹⁾, sed is, cui morae aliquid incidit quominus iter inceptum persequatur. Sic hic Petronius, cum periculi aliquid odorari coepit, obviam Neroni proficiscitur, haud dubitans quin, si Neronem convenisset, parata sibi salus esset; sed Cumis inopinati quiddam incidit, quod quominus Neronem conveniret impediēbat, ergo ipse ibi mortem sibi conscivit. Cumas ad eum pervenisse nuntium, quo de rebus Romae gestis ita edoceret ut de se quoque actum esse intelligeret, vel ibi-

1) Hoc sensu cum *attinendi* utitur verbo Tacitus, semper aut cum *carcere*, *custodia* simm. illud iungit, aut eiusmodi vocabula in proxima ponit vicinia, aut denique aliquo modo efficit ut dubitari non possit quin artiore sensu illo hoc verbum sit intelligendum:

A. III. 36 attineri publica custodia; VI, 19 qui carcere attinebantur; VI, 23 extractum custodiae iuvenem (nam in Palatio attinebatur); XIII, 15 praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficii Locusta; XV, 57 Volusii Proculi indicio Epicharin attineri.

Ceteris locis omnibus *attinendi* verbum de quavis proficiscendi, eundi, agendi mora ponitur, clareque his demonstratur, ubi nulla custodiae vinculo- rumque significatio cum eo sit coniuncta vel in eius vicinia posita, de custodia vinculisque non posse cogitari. Sunt autem hi:

A. I, 35 ferrum deferebant in pectus ni proximi dextram vi attinuissent; II, 10 ni Stertinius arma et equum poscentem Flavum attinuisset; II, 52 ut Tacfarinas lectos viros castris attineret; III, 3 ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur; III, 71 pontificis maximi qui flaminem attinuisset; VI, 17 signatum argentum fisco vel aulario attinebatur; VI, 27 oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri; XII, 12 iuvenem summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam; XII, 68 Agrippa Britannicum demorari ne cubiculo egrederetur; Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit; XIII 27 quos vindicta patronus non liberarit, velut vincolo servitutis attineri; XIII, 46 si ultra unam alteramque noctem attineretur (Poppaea a Nerone); XIII, 53 ne tamen segnem militem attinerent; XIV, 25 attineri a se Vologaesen pro pignore amicitiae ostentantes; XIV, 56 quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi attineretur; H. II, 14 ni victorem exercitum attinisset obscurum noctis.

En exhausta materia! Omisi tantum paucos illos locos ubi *quod attinet ad* legitur.

dem ei mortem indictam, facile e cetera narratione, licet illud disertis verbis dictum non sit, effici potest. In fine capitis praecedentis vel illud omittitur, qua re vel quo modo ei *defensio adimatur* (ademptaque defensione): et tamen hoc non ita facile mente suppleas.

H. I, 36. „Strepere cuncta clamoribus (sc. in castris praetorianis, ubi Otho imperator proclamabatur) et tumultu et exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque affluentum militum aspexerant, pressare manibus, *complecti armis*, collocare iuxta e. q. s.”.

Est quidem paulo exquisitius dictum *complecti armis*, sed non tam obscure ut ad desperationem ultimam legentes adducat, ad quam tamen illi adducti videntur commentatores, qui *armis* a nom. *armi* derivarint ¹⁾. Quod quam absurdum sit apparebit, si reputaveris de *singulis* militibus *singulos* commilitones complectentibus sermonem hic esse. Sed estne revera *armis* (τοῖς ὅπλοις) *complecti* tam mira locutio? Nonne multo magis rem ipsam aptissime significat? Si quis miles, altera manu clipeum altera telum aliquod tenens, alterum complectitur, ita ut pone tergum eius clipeus telo tangatur, nonne revera τοῖς ὅπλοις eum complectitur? Certatim hic ab editoribus affertur vs. Aeneidis XII, 433:

Ascanium fisis circum complectitur armis.

Quis autem id facit? Nempe Aeneas, qui modo, sanato iam vulnere, denuo arma induit; *armis* ergo, id est *armatis brachiis*, filium amplectitur. Nam Virgilio editores, illic quoque *armos* significari annotantes, ludere videntur. Et quod c. 38 legitur: *aperire deinde armamentarium iussit* (Otho), non, ut opinor, hinc apparet hactenus inermes *omnes* fuisse milites.

¹⁾ Immemores nusquam illud *armi* apud Tacitum legi, neque adhiberi posse ubi de hominibus sermo sit.

H. I, 81. (Ubi milites mortem omnibus, qui in convivio apud Othonem aderant, senatoribus minitantes irrupere, et ipse Otho propere convivas abire iussit): „tum vero passim magistratus proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque per tenebras diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, et ut cuique humillimus cliens incertas latebras petierunt”.

Adiectivo *incertas* non clientium habitationes, ut tam humiles, tamque in aliquo urbis angulo reconditae, ut haud facile a persequentibus praetorianis inveniri possint, describuntur, sed *iudicium* ipsius Taciti, triste atque severum, eo continentur; hoc enim dicit: „si res in summum fuisset adducta discrimen, prodituri patronos suos illi clientes erant”¹⁾.

H. III, 23 et 25. Nondum satis accurate lucideque demonstratum esse opinor quid esset (in narratione de proelio Cremonensi) *agger viae* et quid *limes viae*. Certe in errore hic versatus est Nipperdeus quique c. 25 eandem quam ille distinctionem praebent. Sic enim ibi edunt: „laxati ordines (sc. Vitellianorum) abrumpuntur; nec restitui quivere impediuntibus vehiculis tormentisque per litem viae. Sparguntur festinatione consecrandi victores”. At sic *limes viae* idem fit quod *agger viae*, siquidem c. 23 legimus: „Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant”. At ipsa sermonis latini indoles obstat quominus vocabula tam diversa, quam sunt *limes* et *agger*, unquam idem significant, neque, si tamen sumimus factum hic esse quod fieri non possit, totius narrationis sic ratio constat. At transposita distinctione simul et narrationem nanciscimur bene decurrentem et utriusque vocabuli *limes* et *agger* significationem non solum aptam sed quae unice ipsorum conveniat naturae. Sic enim c. 25 legen-

1) Quod hoc sensu *intutus* requiri contendit Andresenus, conferat H. I, 88: „per incerta tutissimi”, ubi aperte adiectiva quae sunt *incertus* et *tutus* inter se opponuntur, ergoque *incertus* significat *prorsus idem* quod *intutus*.

dum est: „Laxati ordines abrumpuntur; nec restitui quivere impredientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viae sparguntur festinatione consecrandi victores”. Nunc *agger viae* fit ipsa via, quae rectissime sic appellatur, quoniam via, in planitie exstructa, revera *agger* est. Et *limes viae* adiacentis agri margo quidam est, neque tamen nimis angustus, quoniam per eum *sparguntur* Flaviani milites. Et quid factum narratur? Non solum Vitelliani ordines suos restituere obstantibus vehiculis tormentisque non possunt, sed eadem illa obstacula quominus Flaviani propius accedant et manus cum iis conserant impediunt: hi ergo de viae aggere decurrunt, per adiacentem campum volitant et alio loco denuo aggerem viae conscendunt, sed, ut fit, dum nemo quemquam comilitonem ante se patitur, non iuxta viam currunt sed per limitem illum sparguntur.

H. III, 29. „(In Cremona oppugnanda) acerrimum tertiae septimaeque legionum certamen; et dux Antonius cum delectis auxiliariis eodem incubuerat. Obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent e. q. s.”.

Quaerat fortasse quispiam *obstinatos inter se* quid sit; ipsa narratio accurate lecta illud docebit: in conscendendis moenibus legiones certabant inter se, etenim Antonius (c. 27): „vallum portasque legionibus attribuit, ut *discretus labor* fortes ignavosque distingueret”. Erat ergo omnium inter se militum certamen, in quo nemo cuiquam cedere volebat. Cf. IV, 3: discordibus municipiorum animis magis *inter semet*, quam contumacia adversus principem.

H. V, 25. Iam Batavos belli taedet; iam nihil diuturno profectum bello queruntur; quoniam ad imperium pervenerit Vespasianus, inepte simulari pro illo bellum a se geri; minime esse Romanorum intolerabile imperium. Sequuntur haec ipsius Taciti verba: „Honestius principes Romanorum quam Germanorum feminas tolerari. Haec vulgus; proceres atrociora:

Civilis rabie semet in arma trusus; illum domesticis malis excidium gentis opposuisse”.

Si recte vim verbi *opposuisse* intelligo, hoc Civili vitio a proceribus datur, quod proprias iniurias sibi illatas a Romanis, et totius gentis Batavorum excidium tamquam in libra posuerit, in altera alterum lance, quodque tunc illi propriae iniuriae idem habere momentum visae sint, quod populi totius perniciēs; et nunc eum suum dolorem illum communi omnium excidio compensare clamant.

A. I, 17. (Pescennius Pannonicas legiones ita ad discordiam impellit ut duram sortem legionariorum cum facili quaestuosaque praetorianorum conferat militia, additque):

„non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici”.

Lepidum venustumque hic particula *tamen* habet colorem, egregieque refert τὸ ἤθος et eius qui loquitur et eorum ad quos oratio habetur, sed nisi egregie fallor, rarissime sic ponitur; mihi certe aliud exemplum nunc in promptu non est. Sic enim conqueritur Pescennius: „non obtrecto urbanas excubias, suus illis stet honor . . . sed quocunque tandem modo de aliis copiis iudicat aliquis, nos, negari illud non potest, semper in mediis versamur periculis”. (Belg. *dan toch maar*).

Ann. III, 1. „Postquam (Agrippina) duobus cum liberis, feralem urnam (quae Germanici continebat cineres), egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus, neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumque planctus . . .”

Hactenus omnia planissima sunt: proximi alias magis lugere mortuum solent quam alieni, et plangere omnino mulierum magis est quam virorum. Sed nunc insigni brevitate haec adduntur:

„nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant”.

Quibus non respiciuntur proxime praecedentia (virorum

feminarumque planctus), sed cuncta quae ab *idem omnium* initium habent. Hoc ergo dicit Tacitus: „hoc unum in *communi omnium* luctu erat discrimen quod e. q. s.”.

III, 41. De motu Andecavorum et Turonorum et alia leguntur et haec:

„Turoni legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniae legatus miserat, oppressi — Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent”.

Inaudito prorsus modo hic *efferendi* verbum opponitur verbo *dissimulandi* ut fere *promere* significet et *defectionem efferre* sit *palam deficere*. Nam quem locum Furneaux hic affert, VI, 9, longe alia eius est ratio. Ibi enim agitur de audacia M. Terenti equitis Romani, qui liberrima ad Tiberium oratione habenda suam Seianique amicitiam defendit. Haec ergo oratio tantum valuit ut non solum ipse absolveretur sed morte multarentur accusatores „quia repertus erat” Tacitus ait „qui efferret quae omnes animo agitabant”. *Efferre* autem et *animo agitare* inter se opponi, nemo, ut opinor, mirabitur. Et quod vir acutissimus eodem trahit II, 63, humani patitur aliquid: ibi enim *efferre* est usitatissimum illud *laudibus efferre* s. *extollere*: „extat oratio, qua magnitudinem viri . . . extulit”.

Ann. IV, 3. Nota res est *paelicem* dici mulierem non ratione habita *virii*, qui eam amat (Belg. „bijzit”), sed vel iustae uxoris vel cuiusvis mulieris, quae ab eodem viro amatur (Belg. „medeminnares”). Sic Semele est paelix non Iovis sed Iunonis. Semel Tacitus alio modo illud nomen adhibuisse videtur, sed tantum *videtur*, nam si recte eum interpretaris, apparet ibi quoque a solito usu eum non recedere. Est locus ubi de Seiani Liviaeque agitur nuptiis: „Pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne paelici suspectaretur”.

i. e. non „ne Livia, Seiani paelex (= adultera) aemulationem iustae uxoris metueret”, sed „ne ipse Seianus propter Apicatam paelici (rivali) *eius* suspectus esset”.

Ann. IV, 29. Locus est de Vibio Sereno, quem suus filius accusat; is, cum quaestio de servis habita adversa sibi fuisset, iram vulgi metuens profugit, sed a Tiberio retrahitur et exsequi accusationem cogitur. Nam vetus erat Tiberii in reum odium propter quaedam ab illo petulantius dicta:

„ea Caesar octo post annos rettulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent”.

Primo aspectu *etiamsi evenissent* hic positum videri possit pro *quamquam evenerant*, sed non ex Taciti verum ex Tiberii mente ea vocabula posita sunt; is enim sic disputans est intelligendus: „*quamvis* pervicacia servorum tormenta contra *evenerint*, tamen damnandus Serenus est, nam ante octo annos maledixit mihi, et postea quoque unum et alterum fecit quod mihi molestum esset”. Fabulam ergo de lupo et agno nobis Tiberii oratio in mentem vocat.

Ann. IV, 34. Cremutius Cordus ut demonstret se nihil commisisse quod Brutum et Cassium laudaverit, et alia affert exempla et hoc:

„Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium talibus laudibus extulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret: neque id amicitiae eorum offecit”.

Plerumque illo vocabulo *fides* notum illum Livii *candorem* laudari viri docti putant; sed illa quidem *virtus* quid hic sibi vult? Quomodo inde Cremutius argumentum petere potest ad verba sua tamquam innocua defendenda? *Fides* intelligitur hic fides erga principem et omnino erga *τοὺς ἐν τέλει βεβῶτας*: est eius qui praesenti rerum condicione et praesenti reipublicae statu contentus de novis rebus ne somniat quidem. Est ergo quod Francogalli „loyauté” appellant. Talis fuit

Livius et ob eam rem multum est in eius exemplo praesidii Cremutio ¹⁾).

Quodsi quis me rogat, quid ergo sit *oppositum* fidei, in promptu est responsum. Est *discordia*, quod vocabulum Tacito in deliciis esse videtur, neque tamen semper suo sensu accipitur. Dabo unum et alterum locum:

H. I, 53. „Caecina aegre passus (sc. se a Galba peculatus accusatum) miscere cuncta et privata vulnera reipublicae malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat”.

Accuratus fuerat hic *agri fertilis* imagine uti, in quo discordiae semina suum sibi facile invenirent nutrimentum: angebat enim eos conscientia intelligebantque non posse se Galbae videri partibus ipsius ex animi sententia deditos. Sed quaecumque est cetera loci sententia, *discordiam* esse mentem eorum qui facile a praesenti desciscant imperatore apertum est. Cf. c. 60 „Ne in Britannia quidem dubitatum. Praeerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium eius Roscius Caelius, legatus vicesimae legionis, olim *discors*” i. e. ad resistendum provinciae praesidi propensus. Et paulo post „*eoque discordiae ventum*”, ubi non de militibus *inter se* litigantibus sed de militibus *adversus ducem suum* contumacibus agitur.

H. II, 7. Cur Mucianus Vespasianusque nondum imperii frena in manus sumere velint et aliis verbis describitur et hisce:

1) Quo modo ex Agr. 10, 4 appareat *fidem*, si cum eloquentia iungatur, nihil esse posse quam „Zuverlässigkeit” (quod perhibet Andresenus) non assequor: ibi enim cum eloquentia coniungitur (vel potius eloquentiae opponitur) non *fides* verum *rerum fides*. Nostro annalium loco si *fides* est: „Zuverlässigkeit” (*Glaubwürdigkeit* hic dixerim potius), nullum prorsus Cremutio argumentum Livius praebet.

„Nec referre Othonem an Vitellium superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriam; et suismet vitiis alterum bello alterum victoria periturum”.

Sollicitat haec Madvigius et: „discordia militum ignavia luxurie et suismet vitiis e. q. s.” proponit. Sed leviusculum videtur argumentum, quo vocem *his* oppugnat, quam dum mutat, tollit luculentam hanc oppositionem: *egregios duces* et *his*, militibusque ea praebet vitia, quae tamquam propria Othonis Vitellique legentibus dudum nota sunt. Denique, quod gravissimum, veram vocis *discordia* vim non agnoscit. Perstringuntur Otho Vitelliusque tamquam *pravi milites*, qui contra legitimum ducem arma sumpserint. Sic enim Mucianus et Vespasianus, viri militares, ratiocinantur: „qui parere nesciunt non diu imperabunt”. Egregieque illam sententiam confirmat ipsius Taciti de Caecinae militibus iudicium: „quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto *ad discordias* promptior”.

Denique hic moneo egregie a Furneaux, et, nisi fallor, ab illo primo, horum verborum, quae peculiare aliquid habent et orationis Taciteae indolem diserte produunt, vim esse illustratam: A. III, 29 *ac tamen*; A. III, 69 *ambitione aliena*; A. IV, 11 *alioqui*; A. IV, 31 *cum arceretur*; A. VI, 3 sq. *prorsus*.

X.

Iam in praecedenti capite unum et alterum tractavi locum (A. IV, 48; H. III, 23 et 25), ubi ad obtinendum sanum sensum, qui latebat etiam, satis erat alia uti distinctione. Nunc paulisper in eodem genere subsistam, et transponendis virgulis aliisve distinctionibus lucem afferre conabor locis vel obscuris vel sensu cassis; plerumque tamen leni hac medicina non gravis aliquis tolletur morbus, sed Taciteus restituetur color solitusque Taciteae vocis sonus.

Ann. XI, 15. Queritur Claudius quod negligatur ars haruspicina, quae saepe reipublicae tantopere profuerit;

„Et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera obliterarentur”.

Structuram verborum admodum impeditam sic supplendo explicat Nipperdeius: „gratiam referendam (impediendo) ne”. Sed quis unquam eiusmodi aliquid omittit et acumini legentium inveniendum relinquit? Quid quod ne supplemento quidem illo nascitur aliquid quod sensum praebet huic loco idoneum. Sic enim illud ratiocinantem inducit Claudium: „nunc quidem laeta sunt omnia (nec haruspicina nobis opus est), *sed* diis gratias referamus cavendo ne haruspicina obliteretur”. Multo rectius, ut opinor, hoc foret: „*quoniam* nunc benignitate deorum haruspicina nobis opus non est, *tanto magis* aequum est nos gratias iis referre cavendo e. q. s.”.

Sed, nisi egregie fallor, sic Tacitus scripsit: „et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam. Ne ritus — oblitterarentur”. Aptissime gravi hac admonitione orationem suam Claudius finit: „ne oblitterentur”, recteque sic narratio nunc pergit: „factum ex eo senatusconsultum e. q. s.”. Praeterea ipsa quoque quae antecedunt: „sed benignitati deum gratiam referendam” nunc multo fiunt disertiora. Hoc enim dicit Claudius: „in praesens laeta omnia sunt, non, hercule, nostra opera: nos enim etiam in gravissimis rebus socordes sumus, sed singulari deorum benignitate, quibus aequum est gratum nos testari animum donis victimisque”. Nos quoque saepe hominem negligentem socordemque sic vituperamus: „Deo te gratiam referre decet quod res tam bene cesserit”.

Ann. XII, 16. Romani adversus Mithridatem Bosporanum socios assumunt Aorsos et cum illis laborem partiti eum aggrediuntur:

„sic pulsus hostis, ventumque Sozam, oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popularium animos, obtineri relicto ibi praesidio visum”.

Non, hercule, Mithridates ille, qui per vim totum Dandaridarum regnum occupavit, subito tam ignavus pavidusque factus est, ut oppidum Dandaridarum, propter paucorum oppidanorum ambiguos animos, subito desereret; et si deseruisset, suspectos illos omnes, ut opinor, prius trucidasset. Sed propter ambiguos illos animos *Romani* in oppido, quamvis desertum iam esset ab hoste, praesidium reliquere. Sic ergo distingue: „Sozam, oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi praesidio visum”. *Populares* hic *oppidanos* significare recte annotat Furneaux, sed quod addit non esse eos *Mithridatis* cives, qui per vim oppido est potitus, indicio est eum, licet omittat virgulas, quae apud Nipperdeium post *Mithridate* et *animos*

leguntur, tamen prave sententiam distinguere. Addendum erat: non posse eos antiquo sensu *Romanorum* dici populares.

H. I, 44. De caede Pisonis haec legimus:

„Nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coepit, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Vinio quamvis inimitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat”.

Post *confuderat* non distinctio maior sed virgula est ponenda; coordinationem, ut loquuntur grammatici, hic habemus pro subordinatione, estque totius loci *seu recordatio* — *credebat* schema hoc: „seu, cum in Galba et Vinio gaudium aliquatenus certe minuebatur, de Pisonis morte laetitia plena perfectaue erat”.

H. I, 66. „Lento dein agmine per fines Allobrogum ac Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et statorum mutationes venditante duce”, (Valens ille est, alterius exercitus Vitelliani dux) „foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur”.

Languidissima sententia multo fiet elegantior si sic distinguas: „venditante duce foedis pactionibus, adversus possessores agrorum et magistratus civitatum adeo minaciter, ut Luco e. q. s.” Foede paciscebatur et venditabat spatia itinerum et statorum mutationes, atque in ea nundinatione tam diris adversus possessores agrorum et magistratus civitatum minis utebatur ut Luco e. q. s. Quod nunc unum exemplum sequitur, e quo quibus *adversus magistratus tantummodo* usus sit minis apparet, tolerabilis est durities. Multo certe ingratus in tradita ab editoribus distinctio illud *adeo minaciter* e. q. s. praecedentibus sine ullo adiicitur vinculo.

I, 76. De provinciis exercitibusque, quae a partibus Othonis stabant, et alia narrantur et haec:

„Idem Africae obsequium, initio Carthagine orto; neque expectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate Crescens, Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se reipublicae faciunt), epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit: Carthaginem ceterae civitates secutae”.

Nihil vidi hac distinctione¹⁾ perversius, qua nobis exhiberi videntur duae res, quae quomodo inter se cohaereant videt nemo: obsequium illud (erga Othonem) quod Carthagine initium habuit, et Crescentis illius consilium, quo plebem eodem adduxit. Sed sic incide locum: „idem Africae obsequium, initio Carthagine orto, neque expectata V. A. proconsulis auctoritate: Crescens e. q. s.”, omnia erunt planissima et optime decurrent: primum docemur Africam a partibus Othonis stetisse eamque rem Carthagine natam esse sed non proconsulis expectata auctoritate; deinde, quaerentibus quis ergo, si proconsul rei auctor non fuit, auctor exstiterit, narratur nobis de Crescentis consilio, quo ille Carthaginem ad Othonem transtulerit, quod exemplum tota sit secuta provincia.

H. II, 7. „Non fallebat duces (i. e. Vespasianum Mucianumque) impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari bellum. cum In victores victosque numquam solida fide coalescere”.

Lacera lectio *bellum. cum In* est in codice²⁾. Lenissima haud dubie Pichenae est correctio *belli exitum*, vereor tamen ut vera sit, tam pulchre in voce *expectari* sententia finitur: *bellantibus aliis placuit expectari*, hoc vere Taciteum est. Accedit quod paulo post haec iisdem ducibus tribuitur opinio:

1) In codice distinctio non perspicitur.

2) In imagine phototypica hic locus legi nequit.

„nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret”. Cur ergo *belli exitum* exspectandum censeant? Nam ille alterutrum faciet victorem. Nova ergo sententia vel verbis *bellorum civilium* vel *belli civilis* incipit. Quamcunque enim recipimus lectionem, eadem evadit sententia, quae verane an falsa sit nunc non disputo.

H. II, 16. Pacarius Corsicae procurator in verba Vitellii iurare incolas, occisis iis qui resistere audent, cogit. At ubi belli incommoda sentiuntur et quam prope absit Othonis classis reputatur, poenitere cives nimis festinati obsequii incipit:

„Et aversi repente animi, nec tamen aperta vi: aptum tempus insidiis legere. Digressis, qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops, balineis interficitur”.

Arena sine calce haec est; ut bene coagmentata nascatur sententia, mutata distinctione et lenissima duorum vocabulorum emendatione opus est et sic legendum:

„Et aversis repente animis, nec tamen aperta vi, aptum tempus insidiis legere: digressis e. q. s.”.

H. II, 72. De falsi Scriboniani exitu haec leguntur:

„(vulgus credulum et quidam militum statim aggregabantur) cum pertractus ad Vitellium interrogatusque, quisnam mortalium esset: postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur, condicione fugitivus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum”.

Omnia hic perturbant qui post *pertractus* vel post *interrogatusque* verbum *est* inserunt; sed illi quoque colorem obscurarunt Taciteum, qui maiorem post *esset* posuerunt distinctionem, pro qua si virgula erit posita, denuo Tacitum agnoscemus; a *cum pertractus* sententiam orditur tamquam sic fere eam clausurus: *servili supplicio affectus est*, sed, sponte illius consilii immemor, pro eo *sumptum de eo supplicium i. s. m.* ponit. Neque est, ut opinor, durum ἀνακόλουθον: *cum pertractus ... sumptum de eo supplicium*

H. III, 11. Postquam narravit de tumultu inter Antonii milites orto, deque Tampi Flaviani periculo, cui se ille vix subtraxerit, sic scriptor pergit:

„Legiones, velut tabe infectae, Aponium Saturninum, Moesici exercitus legatum, eo atrocius aggrediuntur quod e. q. s.”

Haec cito, primum ut appareat quid intersit inter sermonem Taciteum et orationem eorum qui simpliciter loquuntur scribuntque. Simplicissimum hoc erat et scriptoris sententiae aptissimum: „Aponium . . . aggrediuntur, eo atrocius quod”, nam novae narrationis, quae adnectitur, argumentum hoc est quod nunc se in alium ducem convertit militum ira, cui illud „eo atrocius quod e. q. s.” explanandi causa additur. Sed maluit Tacitus more suo diversas res in unam contrahere sententiam. Deinde ut sequenti capite scriptoris nostri usum contra pravam defendam distinctionem sed speciosam, et quae, nisi fallor, ab uno alteroque editore iam est admissa. Est autem ille locus nostro admodum similis. Post narratas turbas in Flaviano exercitu haec leguntur:

„Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes exitiosiore discordia non suspicionibus vulgi, sed perfidia ducum turbabantur”.

Sponte se offert coniectura post *mentes* maiorem esse ponendam distinctionem, sic enim omnia fiunt planissima et ad intelligendum expeditissima. Et tamen nemo eam probet nisi qui in Tacito hospes sit: de industria enim Tacitus in unam sententiam coegit et rem novam, quam praecedenti adnectit, et rei novae explanationem.

H. III, 13. Defecit a Vitellio classis, Caecina legiones quoque suas ad Vespasianum transfert; iamque in eius iuraverunt verba milites, iam dereptae sunt Vitellii imagines, praescriptumque Vespasiani nomen, cum subito illos facti sui poenitet, reputantes se, strenuos illos Germaniae bellatores, nulla clade accepta, manus tradere Othonianis istis saepe fugatis copiis:

„Ut tot ¹⁾ armatorum milia velut grex venalium exuli Antonio dono darentur (octo nimirum legiones unius classis accessionem fore), id Basso id Caecinae visum”.

Sic distinguunt editores, perversissime: ne alia argumenta addam, ab *id* .. *visum* nunc pendet *ut* — *darentur*, quae certe absurda structura est, neque sic pronominis *id* constat ratio, ut taceam quam inepte nunc illa repetatur. Visne ipsos milites audire querentes et tantum non singultantes? Sic distingue:

„Ut tot armatorum milia velut grex venalium exuli Antonio dono darentur? octo nimirum legiones unius classis accessionem fore! Id Basso, id Caecinae visum?”

Quam pulchra est haec structurarum varietas, quam graviter lamenta militum nunc, tamquam iusta oratio, clauduntur gravissimo illo *id* — *visum*!

H. III, 84. Post multa ad urbem et in ipsa urbe proelia tandem Flaviani castra praetoria aggrediuntur omnibus adhibitis rebus, quibus validissimae solent oppugnari urbes:

„Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare; suprema victis solacia amplectebantur”.

Sic in editionibus et in codice distinguitur, tamquam si tres diversae res a Vitellianis peractae enumerentur, a quibus seiungendum sit istud *suprema victis solacia amplectebantur* quod ita seorsum positum aut sensum habet nullum aut plane obscurum. Verum arctissime iungenda sunt *inquietare victoriam morari pacem*: iudicium his verbis scriptoris continetur de militibus defendentibus etiam castra nec statim eo victores recipientibus; auctore Tacito non de victoria certare vel Vitelli imperium vindicare illud fuit: *inquietabant tantummodo Vitelliani victoriam et pacem morabantur*; haec

1) Insertum a Rittero, haud dubium quin recte.

sunt eiusdem rei nomina duo. Tum hoc addit victis unicum solacium esse solere caedem sanguinemque, quod tunc Vitelliani quoque victi sint amplexi. Ergo sic legamus: „contra Vitelliani inquietare victoriam, morari pacem; domos arasque cruore foedare, suprema victis solacia, amplectebantur” ut *domos* — *foedare* quodammodo sit verbi *amplectebantur* obiectum et appositionis loco habeat *suprema victis solacia*.

Ann. III, 49. Clutorium Priscum, vanum illum poetam, sola Vitellia testimonio suo iuvabat:

„sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit”.

Non virgula hic opus est ad scriptoris sententiam declarandam; monendum tantummodo est ne — id quod vulgo fit — *ad perniciem* cum *arguentibus* iungatur, quae intolerabilis est verborum vis. Cum *plus fidei fuit* iungendum illud est, ut hoc dicat: „qui grave dicebant testimonium plus valebant, ad miserum reum perdendum”.

XI.

Ad locos venio illos, ubi Taciti mentem nondum bene perspectam a viris doctis aut expertus sum aut non sine causa suspicari mihi videor. Eos ergo sic proponam ut quomodo mihi intelligendi videantur enarrem. Hic quoque nonnumquam inutile aliquod emendandi conamen refutare conabor.

A. XIII, 43. Agitur de causa Suillii, qui imperante Claudio famosus delationibus fuerat; is nunc Senecae opera reus factus, primum se in omnibus rebus Claudio paruisse aiebat, tum iussa Messalinae praetendebat. Hic adversarii eius rogabant:

„cur neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem praeberet?”

addebantque:

„puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent”.

Primo aspectu inania hic fundere verba videtur Tacitus, nam quis *minister* non utrumque facit? Et quod illa descriptio coniunctione *ubi* annectitur praecedentibus, hoc imprimis absurdum videtur. Sed, si recte video, haec senatorum, qui ista dicunt, mens est: „puniendi sunt ministri, *ubi in iudicio apparet* pecuniam quidem eos accepisse, sed nullo alio se argumento defendere posse quam quod iussi fecerint”.

A. XIV, 12. Abiectissima adulatione senatores mortuam Agrippinam omni contumelia afficiunt:

„Thrasea Paetus silentio vel brevi assensu priores adulatio-
nes transmittere solitus *exitium senatui* ac sibi causam peri-
culi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit”.

Sic codex; recipitur plerumque Lipsii coniectura *exiit tum
senatu*, quae speciosa quidem est, nec tamen sententiam
praebet ab omni parte probandam. Quid enim nunc Thraseae
vitio dat Tacitus? Quod senatu exiit? Nonne ergo hoc decebat
virum gravem qui ceterorum serviles animos iam ferre non
posset? An quod non palam Neroni restitit totumque ad-
monuit senatum ut seque et rempublicam vindicaret in liber-
tatem? Non solet eos laudare Tacitus qui sponte certam
adeunt perniciem. Praeterea, tum demum necessaria esset
Lipsii coniectura, si aliunde appareret ab eo inde tempore
Thraseam in senatu nunquam adfuisse; at loci, quos Nipper-
deius ad XIII, 49 affert, contrarium docent. Contra, si vul-
gatam retinemus, quid tandem fecerit dixeritve Thrasea non
dicit Tacitus, sed tamquam rem vulgo notam reticet ¹⁾. For-
tasse revera senatores adhortatus est ut libertatem capesserent,
non solum frustra sed etiam cum suo periculo et multorum
senatorum pernicie. Quid quod si nihil nisi *exiit senatu*
Thrasea, sed cum quadam contemptus et indignationis osten-
tatione, illa quoque res *tecte* verbis traditis potuit significari.
Etenim constat a certo quodam tempore Neronem de industria
in senatores furere coepisse; nonne aliquid quod Thrasea
fecit dixitve (qualecunque illud erat) eius rei ansam praebere
potuit?

A. XIV, 60 „Mox in Campaniam pulsa est (Octavia) addita
militari custodia. Inde crebri questus nec occulti per vulgum,
cui minor sapientia, ex mediocritate fortunae pauciora peri-
cula sunt. *His quamquam Nero paenitentia flagitii revocavit*

1) Non abhorret hoc ab usu Taciti; iam in praecedentibus unum et alte-
rum locum vidimus ubi illud usu veniret, et alios praeterea, occasionem nacti,
indicabimus.

Octaviam. Exim laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae prouunt, Octaviae imagines gestant umeris e. q. s." Sic codex; Nipperdeius pro *quamquam* legit *tamquam*, pro *revocavit* *revocarit* et post *his* lacunae ponit signum; hactenus, ut opinor, rectissime. Sed quod lacunam illam his fere verbis supplendam statuit: *vocibus supervenit inanis rumor*, falli videtur vir praestantissimus. Equidem eiusmodi aliquid desidero: *Poppaea his questibus permota rumorem per homines sibi deditos sparsit*. Nam omnia quae deinde fiunt Poppaeae fiunt instinctu: illa statim turbis illis in honorem Octaviae motis abutitur ad Octaviam perdendam. Quid ergo verisimilius quam ipsas quoque illas turbas Poppaeae dolo excitatas? Territa questibus eorum, quos Octaviae miserebat, ea struebat, quae Neroni quoque metum essent iniectura: spargebat rumorem de Octavia revocata, intelligens tum demum apertum fore populi in se odium et erga Octaviam favorem.

A. XV, 50. Postquam narravit qui fuerint Pisonis conscii et quid eos ad tantum facinus audendum impulerit, sic pergit:

„Et cepisse impetum Subrius Flavus ferebatur in scaena canentem Neronem aggrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. Hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis *pulcherrimum* animum exstimulaverant, nisi impunitatis cupido retinisset, magnis semper conatibus adversa”.

Pro *pulcherrimum* Urlichsius *pulcherrima* legit, Orellius (quod praestare videtur) *pulcherrimum ad facinus*. Sed hoc mittere possumus, de ceteris videamus. Primum quaero nonne pro *ferebatur* legendum sit *fertur*: incredibile enim videtur per integrum annum incolumem fuisse Flavum, quamvis eiusmodi de eo essent rumores vel inter conscios. Hoc tamen ex *exstimulaverant* pro certo efficere possumus iam satis diu ante illud tempus in eo fuisse Flavium ut Neronem aggre-

deretur, et *qua fere occasione* hunc ceperit impetum, hoc quoque satis est perspicuum, licet absurdum sit *ardente domo* neque adhuc probabiliter emendatum. At subito ista *impunitatis cupido* nos de alia rerum condicione cogitare iubet: ante oculos nostros nunc stat aliquis, qui ut ipse facinoris poenam effugiat, *conscios suos indicat*: absurdum enim est consilium aliquod periculi plenum, quod *nullo conscio* ceperis, impunitatis cupidine missum facere. Ergone fortasse totius narrationis haec est sententia: „iam multo antea Flavus solus consilium ceperat, ubi prima daretur facultas, sua manu occidendi Neronis (sic certe fertur); sed re accuratius pensitata melius ei visum est, cum aliis, si huius rei daretur facultas, consilium communicare: sic enim post socios latere se posse credebat vel, si res contra caderet, illos indicare, denique aliquo modo sibi parare impunitatem”?

A. XV, 71. Pisonis sociis quid deprehensa coniuratione acciderit et aliis narratur verbis et hisce:

„E tribunis Gavius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit; Staius Proximus veniam, quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corruptit”.

Ne de utroque aliis verbis prorsus idem narraretur, viri docti nescio quid interesse inter *absolvi* et *veniam accipere* commenti sunt. At ego censeo aetate imperatoria, praesertim autem imperante Nerone, plane eodem utrumque rediisse: quem non ipse imperator incolumem esse vult, de eo actum est. Restat ergo ut non idem esse statuamus quod verbis *sua manu cecidit* et quod verbis *vanitate exitus* significatur. Neque tunc incredibile aliquid statuimus: nam ipsa vox *vanitas* demonstrat non ideo reprehendi Proculum quod, cum vivere posset, mori maluerit, sed quod *illo modo* mortuus sit. Iam ille modus quis fuerit nos latet: cum ultima Annalium parte illius rei narratio periit; unum hoc sumere licet Proculum ad ostentandam virtutem inutile aliquod adiisse periculum.

A. XVI, 14. Antistius exul Anteium et Ostorium Scapulam indicat tamquam res novas molitos in eaque re Chaldaeorum usos arte:

„Ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Antei nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset monito prius Anteio ne supremas tabulas moraretur.”

Monito certa est Agricolae emendatio pro *monitus*. Quaeritur ergo quo modo illum metum Antei familiaribus Tigellinus ademerit. Respondet Nipperdeius: „monendo Anteio ne s. t. m.” At primum quotusquisque eorum id auditurus erat? Hoc enim consilium, ut opinor, solus soli Tigellinus dedit. Sed quid multa? Nonne ipsi sermoni Latino aperte vim facimus cum, legentes de eo qui obsignare nolentibus *auctor exstitit*, quidquam aliud eum fecisse coniecimus quam *primum obsignasse*? Cetera nunc sponte sequuntur, et totius loci hic sensus est: „obsignare iam Antei testamentum audebat nemo, ergo ipse Tigellinus primum mortis necessitatem misero homini indixit; qui cum hac re audita testamentum fecisset, Tigellinus ceteris obsignandi exemit scrupulum dum primus omnium facit illud.” Nunc demum, id quod recte Furneaux observat, *prius* recte hic ponitur.

H. I, 17. (Iam Pisonem adoptavit Galba, et post aliquam deliberationem decretum est ut in castris praetoriis ea adoptio nuncuparetur):

„Circumsteterat interim Palatium publica exspectatio, magni secreti impatiens.”

Si quis quaerit quod sit *magnum illud secretum*, quod homines tantopere cognoscere gestiant, in promptu est respondere: „ipsa adoptio his vocabulis significatur, plebecula enim non adfuerat comitiis illis imperii, quae c. 14 describuntur, ergo nunc ardent studio audiendi quem sibi successorem Galba elegerit.” At ipse Tacitus hoc responsum refutat

statim verbis, quae citavi, addendo: „et male coercitam famam supprimentes augebant”, nam fama de filio a Galba adoptato utcumque *coerceri* et *supprimi* potest, *augeri* nullo modo potest. Admodum obscure hic loquitur Tacitus, et de qua re nunc cogitet aliquanto post demum fit perspicuum. Cum enim de Galbae ad milites (c. 18) oratione narrat, et alia inde, profert et hoc: „ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro asseverat quartam et duoetvicesimam legiones paucis seditionis auctoribus non ultra verba ac voces errasse et brevi in officio fore.” *Magnum* ergo illud *secretum*, quod hactenus coercebatur et supprimebatur, est defectio legionum Germanicarum, quas pugnae caedisque avidas iamiam adfuturas anxia plebs auguratur. At apud milites Galba *ultro*, non rogatus, de illa re tantum asseverat quantum illos scire utile credit.

C. 26 de praetorianis iamiam ad Othonem transitoris haec legimus:

„Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus et adversus peritos pervicax.”

Cornelium Laconem „mortalium ignavissimum” (c. 6) cum legimus una in re *pervicacem* fuisse, statim suspicamur eiusmodi illam rem fuisse ut pervicaciam redderet quam stultissimam. Ergo in adiectivo *peritos* acumen aliquod inesse debet, et revera inest, si sic accipimus: „peritos militarium animorum ideoque gnaros periculorum a militibus instantium”. Tam iners, ignavus, somnolentus homo Laco erat ut quidquam credere nollet de periculis quae in castris nascerentur; tum demum fiebat firmus, immo stolide pervicax, cum aliquis, cui milites notiores essent, monere eum et meliora docere studeret.

H. I, 34. „Praemissus tamen in castra Piso ut juvenis

magno nomine, recenti favore et infensus Tito Vinio, seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur". Ultima vocabula *et facilius creditur* non ad Pisonem Viniumque solos pertinent, sed generalem quandam efficiunt sententiam: omnino cum ad odium provocatur, facilius huic argumento quam ceteris omnibus aurem praebent homines.

Aliter se res habet in vocabulis quibusdam, quae alio quodam loco subsimili ratione praecedentibus sunt annexa. H. I, 41. Postquam Tacitus narravit varios esse de supremis Galbae verbis rumores, haec addit:

„non interfuit occidentium quid diceret.”

Putasne, tantummodo *exornandi* causa vocabula illa adiecta Non ego; nam non Taciteam indolem eiusmodi referret ornamentum; sic loquitur cui molle est pectus et ad lacrimas pronum, non vir fortis pauloque durior, qualis est Tacitus aut certe videri vult. Non misericordia haec provocavit verba, non hic deflet aliquis miseram Galbae sortem, qui senex iam infirmus tam inexorabiles nactus sit adversarios; historicus loquitur, qui cur tam parum constet de supremis Galbae verbis rationem reddit. Haec enim in paucis illis insunt vocabulis: „audire verba illa praeter ipsos, qui Galbam occiderunt, nemo potuit; at illorum non interfuit quid diceret, ergo postea nullus de ea re idoneus testis inveniebatur.” Unice veram hanc esse horum verborum explicationem vel e solo perfecto *interfuit* apparet.

H. I, 72. „Apud Galbam Titi Vinii potentia defensus est (Tigellinus) praetexentis servatam ab eo filiam”.

Ex ipsis verbis vix efficias de Galbaene an de Vinii filia sermo sit, sed Galbae tamen filiam significari e sequentibus apparet verbis, quae et ipsa aliquam requirunt explanationem:

„et haud dubie servaverat, non clementia quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum

odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis”.

Sententia haec est: Vinius — quacunq̄ue tandem de causa — parcere Tigellino volebat; utebatur ergo sua apud Galbam gratia argumentumq̄ue attulit speciosius quam verius (praetexebat) Galbae filiam a Tigellino servatam; et servaverat sed suis prospiciens commodis. Sic mali homines semper agunt: cum rerum metuunt conversionem, quae suae sit potentiae finem allatura, adversus publicum odium privatam quaerunt gratiam. *Eiusmodi consiliis* (unde) homines non a male agendo retinentur (cura innocentiae) sed inter se parant impunitatem. Intellexerat Tigellinus ad exitum vergere Neronis imperium, et praesertim a Galba instare periculum. Non illa Galbae filia nunc tamquam pacis utitur pignore, neque iam antea de illa poenas sumit earum rerum, quae de patre eius exspectantur (atque id non solum mittebant antiquae opiniones, sed etiam Tigellinum, si se fidelem Neronis socium praebere voluisset, decebat illud), sed iam antea Galbae, arma contra imperatorem moventi, impunitatem praestitit, quam invicem ab illo se accepturum sperabat. At aliter res cecidit: populus enim dudum Tigellino infestus, cum videret invisio homini auxilium ferri a Viniio, qui et ipse hoc tempore in publicum incurrerat odium, eo pertinacius Tigellini perniciem flagitabat.

H. II, 45. Enarrato proelio, quo Othoniani a Vitellianis ita sunt profligati ut ipse Otho sua sibi manu conscisceret mortem, sic pergit Tacitus:

„At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis eadem die obpugnationem castrorum.”

Ceteri editores quo modo accipere haec soleant nescio, nihil enim annotant, sed metuo ne multos eorum in errorem induxerit et ne legentes etiam in errorem inducat plerosque haec Orellii annotatio, qua nihil novi perversius: „*castrorum*, non illorum quae c. 39 commemorantur”. Capite enim 39 haec

legimus: „promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit” i. e. quatuor nunc milibus passuum propius absunt a Vitellianis; ex illis deinde castris procedunt ad pugnam, sed eo loco, quod vix commemorare opus, ubi proelium est commissum, nulla castra ponunt; profligantur a Vitellianis, qui eos persequuntur donec ipsi V milia passuum a Bedriaco, i. e. mille passus a castris illis capitis 39, absunt. Potuitne ullus locus aptior excogitari Vitellianorum deliberationi utrum castra ipsa oppugnent necne?

H. II, 46. Post proelium apud Bedriacum milites omnibus modis consolari Othonem student, demonstrantes se ad quasvis novas paratos pugnare.

„Nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, *ut nemo dubitet* potuisse renovari bellum e. q. s.”.

Verba *ut nemo dubitet* tum demum aliquid significabunt, cum intellexerimus hic a Tacito illos refutari historicos, qui docuerunt post pugnam Bedriacensem de Othonis causa actum fuisse, eumque *desperatione* ad mortem compulsus. Qui illi historici fuerint ignoramus; *fuisse* unum pluresve hoc solum constat. Id ego hic propter Mommsenum moneo, qui de discrepantia Plutarchum inter Tacitumque, Othonis mortem narrantes, sic fere disputavit:

„Plutarchus narrat *nulli* proelio adfuisse Othonem sed Brixilli eum remansisse (c. V); transiisse eum Bedriacum ante pugnam ut consilium haberet militare (c. VIII), inde Brixillum rediisse (e. X); post pugnam ipso absente in consilio militari de causa Othoniana omittenda decretum factum. Denique Othonem, de clade certiore factum, quamvis in fide perstare milites videret, abrumpere vitam suam statuisse *ut civibus parceret*: βιώσας οὐδὲν ἐπιεικέστερον Νέρωνος ἀπέθανεν εὐγενέστερον ipse Plutarchus ait.

Tacitus contra in illo demum consilio militari, quod ante ipsam pugnam habitum sit (v. c. 33 et 39), decretum esse ait ut Otho Brixillum proficisceretur, tamquam si hactenus semper in castris adfuisset. „Is primus dies Othonianas partes afflixit” haec sunt verba eius. In consilio militari, quod post pugnam habetur, ope Moesiacarum copiarum fortunam mutari posse declaratur”.

De ipsa discrepantia nihil dico: adesse eam quis neget? Sed quod illa nisus Mommsenus contendit mihi quidem videtur falsissimum. Sic enim disputat: „de industria quaedam hic reticet Tacitus, et sic totum de Othonis morte locum ita detorquet ut narrationi tragicae fiat aptior. Reticet quaecunque documento sunt desperatione Othonem ad mortem actum; sic ille heros fit tragicus, qui duobus inclaruit facinoribus, altero flagitiosissimo altero egregio; alterum illud facinus Plutarchus non *egregium* vocat sed, multo verecundius, *εὐγενέστερον*”.

Hic mihi Mommsenus ipse facere videtur quod Tacito vitio dat: ut alia reticeat, alia distorquat. Quid distorquat sponte apparet, quid reticeat duobus hisce locus optime illustratur:

A. Suetonius, licet disertis verbis dicat: *nulli pugnae adfuit*, Othonis mortem *τραγικωτέραν* etiam reddit: affert enim c. 10 testimonium (idque *sui patris*) Othonem *semper* bellum civile esse detestatum, et quomodo Othoni consilium sui occidendi natum sit narratione illustrat ad animos commovendos aptissima ¹⁾).

B. Iam Martialis tempore exstabat „dramatica” illa de Othonis morte opinio VI, 32:

Cum *dubitaret adhuc* belli civilis Enyo,
 Forsitan et mollis *vincere posset* Otho,
 Damnavit multo staturum sanguine Martem,
 Et fodit certa pectora tota manu.

¹⁾ Illa narratio non est apud Tacitum eo loco, ubi de Othone agitur; demum III, 54 legitur, ubi Vitellii res tractantur.

Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare maior:

Dum moritur, numquid maior Othone fuit?

In deliciis esse τὰ τραγικά Tacito constat et ipsi id exemplis demonstrare conati sumus; sed quod exemplum hic Mommsenus attulit, id prius finxit ipse.

H. II, 51. Post pugnam Bedriacensem:

„earum, quae Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis quibus praefuerat”.

Post *concedentibus* Ritterus inseruit *quoque*, sed ita ingrate inter se iunguntur duae res diversae. Equidem ablativo absoluto *concedentibus* . . . *iis copiis*, opinor *rationem reddi* cur adversus cohortes illas tam placabiles fuerint victores; non enim leve erat quod illae copiae transibant, quae paulo ante (c. 35 sq.) in proelio illo, quod navale fere fuit, tanta exhibuerant negotia. Vereor tamen ut omnia recte se hic habeant, nam quod *per* Flavium Sabinum eae copiae concedunt documento est illum iis etiam nunc *praeesse*. Excidisse nomen *Macer* suspicor (*quibus Macer praefuerat*), ut hic de iisdem militibus prorsus idem dicatur quod c. 36.

H. II, 56. „Ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello afflictabatur”. Post *atrocius* Haasius inserit *victoria*; sed sic perire videtur acumen quoddam Tacito pergratum. Bellum iam non erat in Italia, dispersis per municipia victoribus, at alia nunc res miseram regionem afflictabat, idque atrocius quam bellum.

H. II, 78. Ut imperium capessat Vespasianum hortatur oratione Mucianus, hortantur milites responsa vatum referentes, et ipse quoque animo recolebat omnia, quibus multo ante summa sibi esset claritudo promissa:

„sed primo triumphalia et Iudaicae victoriae decus implesse fidem ominis videbantur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat”.

Quis non ista legens primo aspectu pronomine *haec* significari putet praecedentia *triumphalia* et *victoriae decus*? Tamen non illud voluisse Tacitum mox apparet, nam illa eum adeptum esse iam dixit. Cogimur ergo (cogimur, nam satis mira res est) illud *haec* non de iis rebus accipere, quas ipsa grammatica suggerit, sed sic fere interpretari locum: „ut *praesentem occasionem* nactus est”.

H. II, 80. Cum Vespasianum cubiculo egressum milites imperatorem salutarent:

„in ipso nihil tumidum, arrogans aut in rebus novis novum fuit: ut primum tantae altitudinis ¹⁾ offusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et affluentia excepit. Namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit e. q. s.”.

Haec omnia ut bene intelligantur prae ceteris accurate vox *namque* est consideranda. Etenim quae post illam leguntur *explanationem* continent verborum *laeta omnia et affluentia excepit*: non ergo: *statim postquam* „militariter locutus” est Vespasianus „laeta omnia et affluentia excepit”. Sed illud *namque* et quae sunt annexa sic sunt accipienda: etenim ²⁾, quod attinet ad rerum eventuumque seriem, quibus Vespasianus imperator factus est, huiusmodi fuit: Mucianus expectabat *id ipsum* i. e. cursum rerum in castris Vespasiani Caesareae, quem ubi felicem fuisse cognovit, milites in verba Vespasiani adegit; ante Idus Iulias Syria omnis in eodem sacramento fuit, mox Sohaemus accessit Antiochusque e. q. s.

H. III, 10. In castris Antonii seditiosorum militum furor se omnis in Tampium Flavianum convertit, quem causam

1) Haec Trilleri coniectura omnium maxime mihi arridet; in codice *multitudinis* legitur. Cum *altitudinis* autem egregie *caligo* iungitur: comparatur Vespasianus cum aliquo qui, subito in loco edito positus, inde despiciens vertiginem sentit.

2) Verte ergo *namque* Belgice non „want” sed „namelijk”.

Flavianam prodere insimulant; solus Antonius ipse praesentem ab eo perniciem avertit. Aliquanto post:

„Profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est”.

Quid revera factum sit e Taciti verbis vix efficias, tam breviter et obscure loquitur; quid enim est „obviis litteris discrimini eximi”? Coniectura demum ét eorum ét totius loci sensum assequimur. Facundia sua et auctoritate Antonius furentium militum manibus eripuit Flavianum, et, ut ego opinor, in suo abscondidit tabernaculo, unde nocte demum prodiit ille et e castris profugit. In ea fuga obviam venit Vespasiani nuntiis quibusdam, forte ad ipsum litteras ferentibus, quibus munitus iam in castra redire et sine periculo ibi manere potest: argumentum enim earum eiusmodi erat ut illis inspectis ne turbulenti quidem illi, irati, suspicaces milites dubitare possent quin apud Vespasianum in summo esset honore Flavianus.

A mire conformata sententia incipit huius libri (H. III) caput 22:

„At Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonae et recipere cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac prouere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis impingitur”.

Quid Vitellianis faciendum fuerit perspicue exponitur: *opponi* nunc oportebat id quod revera fecerunt (hac ipsa nocte in hostem sunt profecti); illud autem non disertis dicitur verbis sed cogitandum relinquitur legentibus; at quem effectum habuerit ea res, quae cogitatione est supplenda, id vero perspicue enuntiatur: „paratis iam dispositisque Flavianis impingitur”.

H. III, 32. Cremonae incendendae quis auctor fuerit Tacitus non declarat; hoc solum narrat:

„Ceteri duces in obscura: Antonium fortuna famaue omnium oculis exposuerat. Is balneas abluendo corpori propeere petit. Excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum ut incalescerent: vernile dictum omnem invidiam in eum vertit tamquam signum incendendae Cremonae dedisset”.

Vernile non reprehensionem continet, nihil aliud significat quam servi (balneatoris) ea verba fuisse. Ob teporem aquae Antonius servum illum reprehenderat; responderat ille: „mox incalescet”. Antonius quid dixisset nemo sciebat, sed homines, qui prope adstabant, aliquem Antonio respondentem audiverant „mox incalescet”, inde coniectura nata est de incendenda urbe inter eos fuisse sermonem.

H. III, 39. „Blaeso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit: integris quoque rebus a Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus ambitus abnuere perseveravit”.

Integris quoque rebus i. e. priusquam pugna Cremonensi partium Vitellianarum opes fractae erant. Si post illam pugnam Blaesus abnuisset *Vitellianorum dux fieri*, parum insigne dedisset fidei documentum: tum enim Vitellianae illae partes nullius iam erant pretii, illarumque dux fieri quis noluisset, non fide erga Vitellium ductus sed *totius rei contemptu*. Haec omnia observo, quia interpretem, qui solus notus mihi est, perversissime hunc locum accipere vidi. Ritterus enim Boetticheri hanc probat annotationem: „später, als die Gegenpartei schon gesiegt hatte, war Treue weniger hoch anzurechnen, da so später Abfall wenig vom Sieger erwarten liess”. At invitatus fuerat Blaesus, non ut ad Vespasianum transiret (hoc enim *ambeundi* verbo significari nequit) sed ut pro Vitellio ipso dux Vitellianarum fieret partium. Hoc ab eo petiverant Caecina et primores partium, qui Vitellium iam *aspernabantur*, i. e. parum dignum idoneumque ducem putabant. Sic demum *ambeundi* verbum suo sibi sensu positum erit.

H. III, 47. Naves, quibus Ponti accolae utuntur, sic describuntur:

„Camaras voeant, artis lateribus latam alvum sine vinculo aeris aut ferri conexam; et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur”.

Haud dubie Nipperdeius sanum locum corrumpit pro *artis* legendo *altis*. Nam paulo quidem obscurius loquitur hic Tacitus (et fere dixerim inepte eum loqui), sed quid sibi velit tamen pro certo affirmare possumus. Erat illarum navium alvus lata, sed imponebantur alvo tabulae pronae ita ut spatium quod inter dexteras et sinistras esset tabulas semper fieret angustius; quod *latera* (i. e. tabulas) nunc „arta” vocat, subridiculum quidem est, sed quo sensu illo utatur adiectivo coniecere in promptu est. Tumido autem mari, quo altiores fiebant fluctus eo plures tabulae tabulis superimponerentur et spatium illud magis magisque coartabant, donec tandem aliquando totum navigium tamquam tecto clauderetur. Quod autem *camaras* appositum habet *alvum connexam* in eo molesti est nihil.

H. III, 49. Antonius, bellum iam peractum ratus, quod boni sit ducis officium obliviscitur:

„utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat” i. e. suos sibi eligere centuriones permisit, quemadmodum apparet ex iis quae statim sequuntur: „eo suffragio turbidissimus quisque delecti; nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur”. Vocabula minime ambigua; sed quae nunc addit Tacitus minus accurate legentem possint inducere in errorem: „quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat”. Noli putare ex ipso illo pravissimo consilio, de quo hactenus est narratum, lucri aliquid quaesivisse Antonium, licet verba *in praedam vertebat* primo aspectu illud

significare videantur. Nam legatus legionis si ipse centurionatus dat, potest ob eam rem pecuniam accipere ab honorem illum petentibus; at cum suos sibi centuriones eligunt milites, omnem praedandi facultatem legatus amisit. Ergo *in praedam vertebat* sic est accipiendum ut Antonius dicatur pro consilio illo, quo omnis disciplina corrumpebatur, mox aliud introduxisse, quod cuiusmodi fuerit hactenus tantummodo prodit Tacitus ut dicat praedandi illud facultatem Antonio praebuisse.

Paulo post (c. 58) idem *vertendi* verbum explanationem quandam requirere videtur. Victus iam et profligatus Vitellius senatum convocat:

„Servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit; equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii a metu profecta *verterat in favorem*; ac plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur”.

Hoc narrat Tacitus: „homines opulenti officium *simulare* coeperant metu Vitellianorum militum et clamantis plebeculae; at ex ea simulatione quodammodo favor quidam erat natus (fortasse quia, cum animi semel sunt commoti, homines quid revera sentiant non quaerunt, fortasse etiam quia in tanta clamitantium multitudine facile ad quosvis affectus compelluntur homines. Haec certe favoris causa accedebat quod) plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur”.

H. IV, 54. Post mortem Vitellii et apud Germanos belli ardor augetur et Galli animos tollunt. Utriusque rei causis narratis haec addit Tacitus:

„incesseratque fama, primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, ne deessent libertati, si populum Romanum continua civilium bellorum series et interna mala fregissent”.

Non statim apparet haec quid sibi velint; sed re accuratius perpensa verum loci sensum perspicere mihi videor. Hoc enim narrat Tacitus: Otho primores quosdam Galliarum, qui tum forte Romae aderant, dimiserat ut suos quisque populares contra Vitellium incitaret. Hi ergo, cum eodem tempore ab urbe proficiscebantur, priusquam in suam quisque civitatem digrederentur, in aliqua urbe, unde diversae exhibant viae, convenerant, ibique (sic certe rumor ferebat) pepigerant ne deessent libertati e. q. s.”.

H. V, 1. Prima sunt libri verba:

„Eiusdem anni principio Caesar Titus, perdomandae Iudaeae delectus a patre et privatis utriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaue agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis; atque ipse ut super fortunam crederetur e. q. s.”.

Voluit ergo Titus *super fortunam credi*, sed quid hoc est? Putes, ut opinor, de eo hoc dici qui, cum in edito sit loco positus, tamen contentus eo non est, et maiorem etiam quam pro fortuna famam appetit. At hoc si voluisset Titus, iam non tamquam imperatoris filius suspici sed tamquam imperator coli cupiisset. Et multum abest ut tantam ei tribuat arrogantiam Tacitus; de eodem enim porro narrat: „decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans ac plerumque in opere, in agmine *gregario militi mixtus*, incorrupto ducis honore”. Profecto non sunt haec eius quem sui status, quamvis egregii, poenitet. Mire hic a quotidiano loquendi scribendique usu recedit Tacitus et honorificentissimum hoc Tito dat testimonium: „videri hominibus is esse cupiebat, quem fortuna neque corrumperet, neque ad ignaviam detruderet, qui fortunae imperaret (*κρείττων τῆς τύχης*) non ab illa regeretur”.

Ann. II, 3: „Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque”.

Quaesivi quo modo haec inter se cohaerent. Tandem hanc esse Taciti mentem intellexi: „quamquam illis matrimonii regnique vinclis id effectum videri poterat ut inter fratres nemo esset cuius magnopere interesset quis regnaret, nemo qui imperii obtinendi causa insidias strueret fratri regnanti — et hoc praecipuum est principum periculum — tamen nulli eorum diuturnum fuit imperium”.

Ann. IV, 19. Invisum sibi Silium reum fieri cupit Tiberius: „immissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur”.

Insignis hic locus est ad demonstrandum quantopere cum temporibus mutantur mores. Nam nunc, primo aspectu, stultus et ineptus nobis ille videtur, qui, ne parum idoneus dicatur accusator, inimicitias *obtendat* et *simulet* paternas, atque „tantum abest” aliquis dixerit „ut eiusmodi sint *obtendendae* inimicitiae, ut potius, si revera adsint, omni modo illas accusator *dissimulare* debeat ne iure reiiciatur”. Varro vero est ex numero abiectorum istorum hominum qui aliorum periculis et pernicie crescere volunt; accusat ergo quos Seianus perdere cupit estque simillimus Atheniensibus sycophantis; ergo illorum utitur sermone, qui quam maxime metuunt ne sycophantae videantur. Cff. Lysiae et alii loci et hic XIV, 2: ἐγὼ μέντοι, ὡς ἄνδρες δικασταί, καὶ πρότερον πρὸς τοὺς πατέρας ¹⁾ ἡμῖν διαφορᾶς ὑπαρχούσης, καὶ πάλαι τοῦτον ἐχθρὸν ἡγούμενος πειράσομαι πάντων τῶν πεπραγμένων μεθ' ὑμῶν αὐτὸν τιμωρήσασθαι.

1) Verba dubitationi obnoxia sunt (quamquam ipse quin cum Frohbergero πρὸς πατέρων legendum sit *non* dubito) sed sententia certissima.

XII.

Agetur hic de iis Taciti narrationibus quae, sicut apud eum leguntur, intelligi probarique non possint, obscuris, turbatis, imperfectis; quaeque vitiis illis laborant non unius alicuius vocabuli culpa, quod parum apte sit positum, sed quia aut ad historicum nostrum nil nisi vagus rumor pervenit aut quia nudam narrare veritatem noluit, aut denique quia rem aliquam ita proposuit ut legenti admodum sit difficile non in aliquem incidere errorem. Causam autem cur interdum *noluerit* rem ita ut gesta esset tradere, hanc praecipuam fuisse quod ad dirissima saevissimaque credenda iusto fuerit pronior, iam satis accurate in praecedentibus demonstravimus; nonnunquam rei alicuius ante multos annos peractae rationem eum fugisse invitum quis mirabitur? Iam vero ipsam orationem Taciteam identidem efficere ut auctor male intelligi vel possit vel debeat, id vero tantum abest ut incredibile videatur ut non multo saepius illud accidere iure miremur.

Ann. XI, 25. „Famosos probris quonam modo senatu pelleret anxius (Claudius), mitem et recens repertam quam ex severitate prisca rationem adhibuit, monendo secum quisque de se consultaret peteretque ius exuendi ordinis; facilem eius rei veniam; et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixta ignominiam molliret”.

Mirum, hercle, consilium, quodque ne a Claudio quidem exspectes, etiamsi re vera tam hebes stultusque fuit quam

videri eum Tacitus cupit. Quid enim? Admonet *famosos probris senatores* ut „missionem” petant „honestam”, seque in ea danda non solum facilem fore promittit sed etiam effecturum ne quisquam quidquam de probris illis suspicetur. Simul enim et eorum qui *honestam* illam obtinuerint missionem et eorum qui (cum summa nimirum ignominia) inviti a censoribus senatu moti sint se propositurum nomina, ita ut „pudor sponte cedentium et iudicium censorum permixta ignominiam molliant”. At, quaeso, utris illud consilium profuturum est? Certe non iis qui honestam acceperunt missionem: nihil enim obstat quominus et ipsi putentur a censore senatu moti. Fortasse grata res iis accidet, qui revera a censore moti sunt senatu; haud pauci enim illorum putabuntur honestam missionem accepisse, quae fama aliquot annis postea haud dubie magnopere iis proderit: tum enim obliti erunt homines olim evenisse ut et iis honesta missio concederetur qui *probris famosi* essent.

Eidem Claudio et aliud adscribitur consilium non minus inauditum atque absurdum XII, 53:

„refert ad patres de poena feminarum, quae servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae in servitute, sin consensissent, pro libertis haberentur”.

Auctore ergo Tacito Claudius *ad coercendam libidinem impudicitiamque πάνυ σεμνῶς* poenam statuit facinoris, quod rarissimum erat in civitate, quodque, si iam semel iterumque certis testimoniis indiciisque deprehendebatur, tamen ita plecti vix et ne vix quidem poterat. An unquam quidquam innotuit de Messalina aliqua, quae in servitutem alicui civi sit tradita? Nam cogitandum hic esse de aliqua importunitate diraque impudicitia, quae cadere non possit nisi in eas feminas, quas nimius luxus ad quodvis dedecus compulerit, sponte intelligitur. Nec minus ridicula est Pallantis gravitas, qui in hoc senatusconsulto promendo magistrum suum adiuvat et

pro illa opera a servilibus senatoribus summo afficitur honore. Subesse incredibili narrationi hanc veritatem suspicor. Non *coercendae libidini* senatusconsultum Claudianum inserviebat, sed dirimebatur eo controversia quaedam saepius inter doctos agitata iurisconsultos: nonne hoc fuit negotium dignum Claudio nostro, docto antiquario et eiusmodi disceptationum amantissimo? Certe de Senatus consulto Claudiano iurisconsulti postea spinosissimas protulerunt argutias; at senatusconsultum, quod illi commentariis illustrant, ad *liberorum* pertinet statum, ex eiusmodi coniunctionibus natorum. Neque factum illud ad cohibendam aliquam libidinem, quae alioquin saepius esset eruptura, testis est Iustinianus, qui, tamquam rem prorsus inutilem et absurdam plane sustulit. Atque eodem modo quo Tacitus Suetonius quoque peccat, immo gravior etiam, si fieri potest, illius error est. Is enim ét totum senatusconsultum Vespasiano adscribit, ét de illo hanc profundit sapientiam ludimagistello dignam magis quam historico qui adultis scribit (c. 11): „lubido atque luxuria *coercente nullo invaluerat*, auctor senatui fuit decernendi, ut quae se alieno servo iunxisset ancilla haberetur"! Ergo tantopere illa libido invaluerat et frequens facta erat, ut ne tota civitas permixtione sanguinis corrumperetur, atque adeo pessumdaretur metuere inciperent graves illi senatores Claudiani vel Flaviani!

A. XII, 60 „(Procuratoribus suis) Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Sempronii rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursus Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent”.

Post *redderent* Nipperdeyus in utraque editione lacunae posuit signum. Quo argumento, putas? Quod duae fuerunt leges Serviliae, Caepionis altera, altera Glaucae, quarum illa senatoribus reddidit, haec iterum ademit iudicia. Putat ergo Nipperdeyus Tacitum scripsisse „ . . . iudicia redderent *vel*

adimerent". At mihi multo videtur verisimilius nihil ultra nomina hic Tacito innotuisse, semperque eum latuisse id quod hodierna de antiquitatibus Romanis enchiridia docent de duabus legibus Serviliis: etiam nunc, nisi fallor, est quaedam de iis inter viros doctos controversia. Taciturne credamus in eiusmodi rebus tractandis omnia bene perspexisse et distinxisse? Haud opinor: nam vel hic multo gravior deprehenditur confusio quam ea est, quam supplemento suo tollere Nipperdeyus conatur. Nonne enim ridicule iudicia privata et publica in eundem coniiciuntur locum, tamquam si interesset nihil? Nonne diversissima inter se coniungit qui, postquam narravit de magistratibus apud quos *lege agitur* deque eorum decretis, statim disceptare incipit de *iudiciis*, quae modo penes ordinem amplissimum modo penes ordinem splendidissimum fuerint? An credamus, cum Claudius *omne ius* traderet procuratoribus, etiam permissum iis esse ut de maiestate, de repetundis *sim.* cognoscerent?

Ann. XV, 48. „Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus, coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores eques miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus e. q. s.”.

Narrare hic de Pisonem ita Tacitus incipit, tamquam si nunquam antea eum nominasset. At nominavit, idque loco qui confusionis et incuriae plenus est XIV, 65 (ergo in ipsa nostri loci vicinia).

(Agitur de Neronis libertis, quos ille eodem anno „veneno interfecisse creditus”, e quibus) „Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut C. Pisonis socium; sed validius a Seneca eodem crimine percussus est. Unde Pisoni timor et orta insidiarum in Neronem magna moles et impropera”.

Ergo iam a. 62 Pisonis socium dici capitale crimen erat. Quid fecerat Pisonem? „Iam tum” viri docti aiunt „secretum fovebat

consilia, illorum habebat socios, suspectus erat Neroni". Tamenne per tres fere annos non solum incolumis fuit, sed etiam libere quodvis inire consilium poterat a nullo magistratu, a nullo e Neronis canibus custoditus? Nam magna illa anni 65 coniuratio Scaevini demum vanitate prodita est; antea „mirum" (ipsius haec Taciti verba sunt) „quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita sint". De Pisone nemo quidquam est suspicatus antequam Milichus, Scaevini libertus, quae domi patroni vidisset magni alicuius facinoris, quod parabatur, certa indicia prodidisset Neroni; immo vero ne ipse quidem Milichus quidquam de Pisone suspicabatur, ne nomen quidem eius ei in mentem venit, cum sollertibus Scaevini responsis paene mendacii convinceretur; tum Milichi uxore opus erat, quae maritum admoneret „Antonium Natalem multa cum Scaevino ac secreta collucutum et *esse utrosque C. Pisonis intimos*". Si per tres illos annos adeo suspectus Neroni fuisset Piso, ipse Milichus, ad incitas redactus, nihil, ut opinor, prius commemorasset quam amicitiam Pisonis patronique; immo vero iam tum Neronem eiusque aulicos de illa fecisset certiores, cum nondum illam pugionis tragoediam spectasset. Fingamus tamen factum esse quod plane sit incredibile, et a. 62 iam in ore omnium fuisse Pisonis nomen tamquam viri qui insidias Neroni strueret et ab ipso Nerone vehementer metueretur, sed post duos annos et nomen et virum tantopere in oblivionem abiisse, ut, nulla indicia nullos proditores metuens, coniurationem quandam omnibus numeris absolutam ordiri posset, ipsine Tacito, cum de illa narrare inciperet (XV, 48), oblivisci licebat se iam antea non solum Pisonem nominasse, sed etiam palam declarasse tum (i. e. ante tres annos) revera illam coniurationem cepisse initium? Haec enim verba eius sunt: „unde Pisoni timor et orta insidiarum in Neronem magna moles et impropera". Num iusto severioribus

usus sum verbis cum de *confusione* et *incuria* loquebar, quibus tota illa de Pisone narratio laboraret?

A. I, 16. Hic locus est ubi Tacitus nulla sua culpa male sit intellectus et perversa sollicitatus emendatione. Et ne illud quidem vitio ei dandum quod narratio eius diligentissimam lectionem et longiorem requirit explanationem; aequales, quibus scribebat, ipsam rem optime facillimeque intellegebant. De Pannonicarum legionum seditione narraturus ita incipit:

„Castris aestivis tres simul legiones habebantur”.

Pro *aestivis* Sirkerus coniecit *hibernis*, potuitque sententiae suae argumentum afferre admodum speciosum. Etenim c. 27 Cn. Lentulus dicitur *hiberna castra* repetere. At Lentulum illum, qui fuit e Drusi comitatu, milites adorti sunt in iis castris de quibus toto c. 16 sermo est; si ergo *in hiberna* fugit, periculum illud, quod vitare vult, in *aestivis* natum est. Praeterea, si Sirkeri coniecturam probamus, magnas nobis exhibet molestias capitis 25 initium. Quid enim? c. 16 Sirkeri auctore in castris *hibernis* tres simul legiones erant duce Iunio Blaeso „qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis . . . intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, *discordare* (v. de hac voce vol. XXX p. 346 sq.)” . . . denique in castris *hibernis* magna quaedam existit seditio, ad quam comprimendam Tiberius Drusum cum primoribus civitatis et aliis et Cn. Lentulo mittit: „postquam vallum introiit” (nimirum Drusus, simulque Cn. Lentulus alii) . . . vallum, ergo (si semel Sirkerum sequimur) *hibernorum*, nam de aliis nunc agi castris et non de iis, quae c. 16 commemorantur, nemo quidquam nos docet. Igitur in *hibernis* Drusus milites placare studet, in *hibernis* contumax a militibus accipit responsum, in *hibernis* militum ira praesertim in Cn. Lentulum se convertit, qui metu percussus aufugit . . . et *hiberna* petit. Profecto ad incitas nos doctum illud Sirkeri redigit commentum.

Neque tamen nulla est coniecturae, quam protulit ille, utilitas: accuratius enim Taciti verba perpendere cogit illa, quod cum facimus, hic demum locus nos rem quandam edocet et tantum non ante oculos ponit, quam bene tenere debemus quoties de legionibus Romanis nobis narratur aliquid. Etenim territus Lentulus castra hiberna non *petit* sed *repetit*. Ergo ex hibernis venerat et cum maxime in *aestivis* (nam missam iam facimus Sirkeri coniecturam) ei exitium minantur, saxaque in eum iaciunt milites. Refugere nunc eo unde venerat conatur . . . in hiberna. Hisce omnibus bene intellectis simul nobis quam maxime fit perspicuum inter castra hiberna et castra aestiva quae intercedat ratio. In provincia non nimis longe a finibus hostium legiones urbis instar habent castra hiberna: ibi eorum est domicilium, quamdiu bellum non est; a ministris militaribus ea urbs semper incolitur et ab aliis hominibus, quorum opera efficitur ut qui eo advenit commode in illa urbe degere quamdiu libet possit. Eo ergo nobiles homines, qui ex urbe ad exercitum mittuntur, ut militum animos cognoscant aliisve de causis, se convertunt, ibi deversantur. At cum milites ad expeditionem proficiscuntur, prope hostem, modo hic modo illic, castra ponunt aestiva, quae appropinquante hieme tolluntur; legati ergo Roma missi, cum expeditionum tempore videre et alloqui milites volunt, ex hibernis, ubi deversantur, se conferunt in aestiva, sed officio suo functi statim suum sibi, quod in hibernis habent, *deversorium repetunt*: idem miser ille Cn. Lentulus facere conatur, heu sero!

Non tam facile me expedio ex difficultate, quam eiusdem libri c. 38 praebet, aut si me inde expedio, Tacitum gravissimo crimine involvo: incredibilem enim ab eo commissum errorem arguo, quo situs et populi Germaniae mirum in modum perturbentur. In *Chaucis* vexillarii discordium legionum praesidium agitant; quos (et ipsos, ut opinor, tumul-

tuantes) M' Ennius praefectus supplicio duorum militum reprimi — sed in breve tantummodo tempus, nam mox:

„intumescente motu profugus repertusque ¹⁾), postquam intuitae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. Simul exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos”.

Cuivis hominum multitudini apta fraude impetum dari posse novimus, sed opus est ut qui illa fraude utatur brevissimo tempore ad propositum finem rem perduxerit. Sic et hic, nisi paucissimis horis Ennius copias illas in hibernis collocavit fraus perpluit et multo maior discordia erumpit: de aliquot dierum itinere cogitare res ipsa vetat. Et tamen dubium non est quin cum hibernis hic nobis res sit, ubi et aliae adsint copiae; nam illud solum, quod sunt in hibernis, milites ad discordiam propensos non, ut opinor, in officio obsequioque retinere potest. Vox hiberna quid significet satis accurate p. 84 sq. mihi demonstrasse videor: talem autem urbem militarem praesidium agitantes isti vexillarii non habuerunt, ad Visurgim talia hiberna non adfuerunt; ergo ripa illa, quo vexillum vertit Ennius, non Visurgis est sed Rheni ripa et hiberna nulla alia sunt quam quae Germaniae legionibus sunt extracta vel in terra Ubiorum (c. 36) vel „loco cui Vetera nomen est” (c. 45). Sequitur, res tristis sed vera est, ut Chaucos, Visurgis Albisque accolae, sibi ad Rhenum habitantes finxerit Tacitus, plane oblitus eorum, quae ante aliquot annos scripserat G. 35: „Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in

1) Ecquid delendum istud *repertusque*?

Chattos usque sinuetur". Quae quamquam et ipsa omnem ludibrio habent geographiam, tamen diserte declarant Chaucorum regionis nullam fuisse partem unde unius diei itinere ad Ubios (ne de Veteribus loquar) perveniri posset.

A. I, 42. Iam taedet Germanicum tumultuum et discordiarum, iam in eo est ut seditiosos milites relinquat et ad superiorem proficiscatur exercitum; certe uxori ut eo abiret persuasit, iamque „incedebat muliebri et miserabile agmen": ea res milites vehementer commovet, fitque Germanico eos alloquendi copia. In qua oratione et alia leguntur et haec: „Hunc ego nuntium patri, laeta omnia alia e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos; hic tantum interfici centuriones, eici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra, flumina, meque precariam animam inter infensos trahere. Cur enim primo contionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o improvidi amici?"

Ultima haec quorsum spectent probe novimus. Capite enim 35 legimus, ubi primum castra introiisset Germanicus, non solum de miseriis suis ad eum conquestos esse milites sed etiam ipsi obtulisse imperium: „tum vero quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. Opposuerunt abeunti arma, minitantes, ne regrederetur. At ille moriturum potius, quam fidem exueret clamitans ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ne proximi prensam dextram vi attinuissent".

Et tamen *Germanicum* verbis „primo contionis die" cum usum esse legimus, subridemus. Non enim decent ista virum militarem militum seditiosorum placantem animos. Quem deceant quaeris? Oratorem de discordiis legionum Germanicarum facunde et ex artis praeceptis narrantem, ideoque legentibus diligenter in memoriam revocantem quae iam sint orationes habitae quotque quibusque modis.

A. I, 44. Tandem aliquando sedatis militum animis Germanicus „centurionatum egit”. De vocabulis multa disputant viri docti, rem ipsam satis accurate sequentia illustant: „citatus ab imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat. Si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebant ordinem: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia”.

Cf. c. 32: „repente lymphati dstrictis gladiis in centuriones invadunt . . . prostratos verberibus mulcant sexageni singulos . . . tum convulsos laniatosque et partim exanimis ante vallum aut in Rhenum proiciunt”.

Habemus hic de eadem re duas narrationes admodum, ut opinor, inter se diversas. Modo audimus de centurionibus mulcatis, convulsis, laniatis, exanimibus, proiectis, modo de militibus questus suos ordine placideque proferentibus, videmusque imperatorem questus illos recognoscentem et de iisdem illis centurionibus iudicium censuramque exercentem. Non ergo occisi illi erant. Dixeris ne e capite quidem 32 effici posse illos ad unum omnes tunc esse interfectos. Concedo utcunque fieri potuisse ut unus et alter perniciem effugeret, sed, si verum est quod c. 32 narratur, vel unum superfuisse, qui in illo censu suis stare pedibus posset, id ego pertinaciter nego. Aut mirum in modum quae c. 32 leguntur omnia aucta sunt et exaggerata, aut census ille habitus est de sauciis laceris animam vix trahentibus: certe nemo eorum militiae vel ordini aptus iam erat.

Ann. I, 56. Germanicus „expeditum exercitum in Chattos rapit” iisque „adeo improvisus advenit, ut, quod imbecillum aetate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit. Iuventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant; dein tormentis sagittisque pulsati, temptatis frustra condicionibus, cum quidam ad Germanicum perfu-

gissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur”.

Quo ordine haec omnia gesta sint e Taciti verbis vix efficias, ipse id exputare debes; quod ubi fecisti, res tibi stat ante oculos clara nimis atque perspicua: non de antiquis Romanis haec narrari tibi videntur sed de illis aequalibus nostris, qui Romanis se similes paresque gloriantur atque dira certe et immani crudelitate (quae nisi in abiectissimos, pravissimos, ignavissimos, homines cadere non solet) Romanorum pessimos superare solent. In terram hostium Romani adveniunt, sed qui Chattorum armis gerendis pares sunt trans flumen se receperunt in locos sibi aptos. Irati Romani imbellibus, senibus, sauciis, aegris, sed feminis praesertim infantibusque necandis quae sua sit virtus ostentant. Inde ponte traicere flumen tentant Romani: diu iis obsistunt Germani, pro aris focisque pugnantes. Qui ubi multiplici praedonum numero cedere coguntur, pacis offerunt conditiones, quas lupi isti toti praedae inhiantes (aurum enim celare illa dicebatur terra cf. XI, 20) respuunt. Nunc „quidam ad Germanicum perfugiunt” i. e., ut ego opinor, unus et alter e regulis pretio atque promissis capitur ita ut magna pars populi in deditio-nem venisse videatur. At reliqui, i. e. ipsi illi, qui prae ceteris strenui sunt bellatores, nunc illa utuntur pugnandi ratione, quae funestissima esse solet alienarum terrarum raptoribus. In Romanorum dicionem Chattorum regio pervenit nunquam.

A. I, 57—59. Quae hic narrantur revera alio modo gesta esse ét res ipsa clamat (narratio enim eiusmodi est ut nemo ei fidem habere possit) ét quaedam vocabula, quibus Tacitus utitur, indicant. Germanicus, ab illa in Chattorum terram expeditione castra sua repetens (c. 56 „vertit ad Rhenum”), medio itinere se convertit (c. 57 „Germanico pretium fuit convertere agmen”) ut Segestem liberet, qui a popularibus circumsedetur, apud quos Arminius potior illo erat, et „ereptus (est) Segestes magna cum propinquorum et clientium manu”.

Verum, si ita res se habuit, quomodo apud inclusum illum Segestem Arminii uxor esse potuerit in tenebris latet. Neque hoc minus obscurum qui sermo hic esse possit de *deditione* (c. 57 f.: „qui tum in deditionem veniebant” et c. 59 in. „fama dediti benigneque excepti Segestis”). Denique Segestes non beneficium a Romanis acceptum agnoscit, non gratias iis agit quod ex aliquo sit carcere liberatus, sed se de Romanis egregie meritum gloriatur his verbis (c. 58): „non hic mihi primus erga Romanum fidei et constantiae dies”. Quid revera evenerit non opus est ut diu quaeramus: Romanus scriptor, ut fieri solet, turpissimam rem speciosis involvit verbis. Non ereptus est Segestes e custodia, quam ei circumdederat Arminius, sed absente Arminio neque quidquam eiusmodi metuente, Segestes patriae causam valido atque opulento raptori *prodit*, atque uxorem Arminii cum fidissimis illius comitibus in captivitatem tradit Germanico, cui „pretium fuit convertere agmen” ut tantae turpitudinis emolumentum haberet. At Tacitus eiusmodi flagitia pulchra exornat specie . . . dummodo sint commissa a Germanico, quo neminem magis habet in deliciis. Tacito auctore neque turpiter neque stulte agere Germanicus potuit. En quid sit „sine ira et studio” historiam scribere.

Eiusdem Germanici praeclarum scilicet consilium et callidum inventum describitur II, 5. Ut neque longis itineribus, quae Romanos milites exhauriebant, et sine magna equorum copia, quibus ministrandis iam fessae erant Galliae, legiones quam celerrime in mediam possint perducere Germaniam, navibus eas per mare ad fluminum ora vehere decrevit, sic „integrum equitem equosque mox media in Germania fore” ratus. Quam misere eum spes fefellerit ne Tacitus quidem celare potest. De ipso consilio videamus Germanicique in eo peragendo prudentia. Mille naves ad eam rem construi iubet, quarum erant „plures adpositis utrimque gubernaculis con-

verso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent". *Appellere* hic non est „appellere ad littus" sed „dirigere, cursumque flectere". Cf. H. III, 47 ubi eadem res eodem describitur modo: „pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiscretum et innoxium est". Sed quid navibus opus sit, quae tam facile cursum mutare subitoe, cum opus est, in contrariam volare partem possint, cum tamen non ad proelium navale mittuntur sed ad transportandos milites commeatumque, dicat qui intelligat. Fortasse hic tamen de more Tacitus rem, quo magis fieret mirabilis, amplificare studens, ornamentum aliquod addidit imprudens invitusque quod ab hoc loco prorsus esset alienum. De rebus ab ipso Germanico post miram illam navigationem gestis videamus. c. 8.

„ . . . lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae ore relicta laevo amne; erratumque in eo quod non subvexit transposuit militem dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti".

Vocem *ore* addidit Nipperdeyus, recte ut opinor; *subvexit transposuit* quomodo emendemus parum refert, omnia enim hic satis sunt perspicua, dummodo hoc teneamus verba *plures dies efficiendis pontibus absumpti* hic posita esse ut statim verborum *erratumque* e. q. s. ratio redderetur, nam in rerum gestarum ordine illud fuit ultimum; huiuscemodi enim ille ordo fuit:

- a. In ore Amisiae ad ripam sinistram appellunt naves.
- b. Ibi escendunt milites, quorum tamen nonnulli, priusquam terram tenerent, hausti sunt.
- c. Ripa sinistra aliquamdiu milites iter faciunt.
- d. Pontes fiunt ut reliquum iter dextra possit fieri ripa.

Haec tamen, quamquam aliquam requirunt explanationem,
a Tacito non nimis contorte obscureve sunt narrata. Sed

quam cupidus esse debuit scriptor, qui immanem illum Germanici errorem, copias non ea ripa, qua pergendum erat, exponentis fere dissimulet, certe non gravissima obiurgatione vituperet? Fateor mortalium neminem me magis esse

ἄπειρον ἰθαλάττωτον ἀσαλαμίνιον

et tamen quanta illa fuerit Germanici stultitia penitus sentio. Avorum nostrorum memoria, cum nulla hic fiebant itinera nisi placidis illis navigiis, quae remulco trahebantur, et ad quae regenda vix ulla opus erat peritia, tamen nullus unquam nauta, ut opinor, eiusmodi aliquid commisit . . . aut expertus est vectorum tranquille otioseque confabulantium unum tamen et alterum cerebrosum. Laudamus Tiberium, qui tam imperitum copiarum ducem quam primum inde revocarit, ubi remanere non posset sine legionum pernicie summoque reipublicae detrimento. Quidquid in Germania fecit Germanicus omnia et inutilia prorsus fuerunt et periculi plena. Velut hoc est quod c. 25 narratur, puerorum ludo similis quam prudenti imperatoris consilio:

„Marsos irrumpit, quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo loco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. Missa extemplo manus, quae hostem a fronte eliceret, alii, qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna”.

Quamquam Romanis, ἀρπαγίνδα ludentibus, ineptiores ipsi Germani, qui non contenti aquila humi defossa . . . praesidium ibi ponunt, scilicet rati sic melius illud κειμήλιον in sua potestate permansurum, quam si loco esset abditum, quem vix quisquam notum haberet.

A. II, 34. In praecedenti capite narratum est de sententiis in senatu dictis senatusconsultoque facto cum Haterius et Fronto de luxu coercendo dixissent. Sequitur:

„Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans abire se

et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur; simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, et quamquam verbis Pisonem permulisset, propinquos quoque eius impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent”.

Deesse narrationi aliquid aut totam rem, quam apud auctores suos invenerat, non intellexisse Tacitum mihi constat. Nam hoc quidem admodum credibile, gravem aliquem senatorem, cum saepe de corruptis moribus ageretur, excessisse relationem et de omni genere vitiorum, nec de eo solo quod tunc coercendum esse dicebatur, conquestum esse; neque hoc a natura rei alienum eum ipsa argumenti acerbitate solito magis commotum et aliis usum esse orationis flosculis et hoc: „in tam corrupta urbe vivere me taedet, migrabo in rus aliquod solum et desertum”; quin etiam fingere possum strenuum illum oratorem in fine sententiae surrexisse, abiisse, valvas curiae non sine magno strepitu impulisse, sed fingere non possum, si sic res se habuit, ipsum illud abeundi consilium et a senatoribus et a Tiberio tamquam serius tam graviter acceptum. Aut denique, si hoc quoque factum, nihil facilius erat quam placare iratum. Dicere poterat Tiberius sibi optime de republica meritum videri Pisonem, qui tanto ardore in corruptos esset invectus mores, poterat in eam sententiam fieri senatusconsultum. Verum nihil eiusmodi dicere vel decernere, sed putare mitibus verbis vel propinquorum auctoritate precibusve a proposito abductum iri Pisonem stultitia erat certe si tota haec res ita se habuit ut Tacitus narrat, quod mihi non facile persuadebitur. Nisi Pisoni propria quaedam fuit et peculiaris causa cur sic ageret, ineptus ipse fuit, sed aliquanto ineptiores Tiberius senatoresque, qui eum retinere vel reducere sint conati. Si legerem derisum a senatoribus Pisonem propter nimiam vehementiam, iam constare mihi rei narratae videretur ratio. Sed alio monstrare videntur haec verba l. IV, c. 21 „actum dehinc de Calpurnio

Pisone, nobili ac feroci viro. Is namque, ut retuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat". Mitto nunc quod nostro loco non „retulit" illud Tacitus, certe non plane idem; sed propter illud „factiones accusatorum" suspicari incipio Pisonem iam tum sensisse quantum sibi mali a delatoribus esset exspectandum (v. quae de Granio narrantur IV, 21), ergoque postulasse ut severo senatusconsulto obviam iis iretur, quod cum impetrare non posset, exiisse eum e senatu.

A. III, 36. „Exim promptum, quod multorum intimis questionibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertinique etiam ac servi, patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur".

Haud leves molestias mihi quidem vocabula *arrepta imagine Caesaris* exhibent. Si de vera aliqua Caesaris cogitamus imagine, ad quam isti homines tamquam ad aram, confugiunt, hoc male nos habet, quod hic sermo non est de maleficis, qui *perpetrato iam facinore* imaginem Caesaris arripiant ne puniri possint, sed de iis, qui pone quoddam latent propugnaculum, unde impune perpetrare possint quod in animo habent. Sin figurate ea verba accipimus ut *arripere imaginem Caesaris* sit: Caesaris nomine tamquam aliquo uti terriculamento, sive, ut rem ipsam quam apertissime significemus: „laesae maiestatis minari crimen", quid quo referantur habent haec verba C. Cestii, qui primus sententiam dicit: „principes quidem instar deorum esse; sed neque a diis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfrugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur"?

III, 46. In tumultuantes Gallos copias educens Silius et aliis verbis significat plane contemnendos esse hostes et hisce:

„Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Aeduos evincite et fugientibus consulite".

Quod „quanto ditiores tanto imbelliores” dicuntur Aedui, Silius est qui sic milites edocet, non ita ratiocinantes vel ratiocinaturi finguntur milites. Ergo perversissima est Pfitzneri coniectura *esse post imbelles* inserentis, quam tamen probavit Nipperdeyus. Monentur, ut opinor, milites ut id faciant quod militum est, sive *evincere* hic fere *devincendi* vim habet, sive corruptus locus est et Tacitus Silium induxit militibus narrantem quae esset *unice vera ratio* hostibus tam imbellibus utendi. Sed *fugientibus consulite* egregie dictum videtur, summus inest in illis vocabulis contemptus, si hoc dicit Silius: „cum pugnantis non erit vobis res; curate modo ut fugientes habeant fugiendi spatium, nolite eos ullo modo retinere, videbitis quam velociter currant”, quae est oratio viro militari aptissima. Et quod ego puto a Silio hic iussos esse milites, id revera fecisse videntur, caedem enim factam non audimus, quae haud dubie facta esset, si cum tam imbellibus hostibus conseruissent manum fortissimi Romanorum. Ergo non possunt non admirationem quandam haec movere verba: „et circumfudit eques, frontemque pedites invasere, nec cunctatum (?) apud latera”. Nam hercle non *consulunt fugientibus* qui hostes ab omni parte includunt: ubi hoc legimus, sequi solet ut hostes paucis relictis trucidentur.

A. V, 10. Operae pretium est observare quam suspensos nos relinquunt, quam sint imperfectae, omnes narrationes Taciteae de hominibus ignotis, qui sibi nomen indiderint viri alicuius nobilis, qui dudum mortuus est atque ea fraude aliquantis per ludibrio habuerint multos mortales. Sed nulla tantopere hoc nomine reprehendenda quam quae hic legitur de pseudo-Druso, „qui iam iuventutis concursu iam publicis studiis frequentabatur . . . cum auditum id Poppaeo Sabino, Macedoniae curis intento”. Sequuntur multa de celerrima quadam Poppaei circum Graeciam navigatione deque eius in coloniam Nicopolim adventu:

„ibi demum cognoscit sollertius interrogatum, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tamquam Italiam peteret”.

Quis, quaeso, sollertius impostorem interrogavit? Opinor, magistratus aliquis, ad quem ille prehensus et oneratus catenis esset adductus. Qui ergo supplicium effugit? Illud vero quod hisce adiungit Tacitus:

„Scripsitque haec Tiberio, neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus”

risum movet, in mentemque revocat nobis, quae lepidissime Cicero (pro Caelio § 65) iocatus est de mimo in quo clausula non invenitur. Naeniis quoque puerorum aptae sunt obscurae eiusmodi exituque carentes narratiunculae, non gravi historiarum libro.

A. VI, 2. Punito iam Seiano punitaque uxore eius Livia, tamen senatores, ut Tiberii inirent gratiam, atroces in illos proferebant sententias:

„Scipiones” ait Tacitus „et Silani et Cassii isdem ferme aut paulum immutatis verbis adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent”.

Quid sibi vult ista oppositio? Indignum, profecto, erat spectaculum homines summo loco natos tam abiecta uti adulatione; at si homo ignobilis idem facit, aliquanto minus indignum fit idem. Hoc tamen minus etiam e Taciti verbis apparet quid ridiculi habuerit Togonii sententia. Melius nos Dio Cassius (58, 17) edocet observando: „sic efficiebatur ut *adversus ipsum senatum* tutus esset Tiberius”. Et revera, sicut Dio Cassius totam hanc rem tradit, in ea satis inest ridiculi: is enim revera *ab ipso senatu decretum* esse narrat ut eiusmodi praesidium Tiberio praeberetur. Hoc, ut opinor, ridiculum

est, ipsum senatum declarare in senatu tam parum tutum esse imperatorem, ut ei praesidio opus sit armato. At senator Togonius in eam sententiam declamans neque ridiculus est neque videri vult: perfidissima astutissimaque insimulatione haud paucos senatores suspectos reddere et in vitae adducere discrimen studet ut illorum pernicie crescat ipse. Nunc demum apparet quam praestans, quam apta prudensque Tiberii fuerit epistola, quam paulo post Tacitus commemorat, qua non hercle animi causa „ludibria seriis permiscet” Tiberius, sed in re gravissima optimi principis luculentum simulque facetum dat documentum. Postremo ipsa illa epistola declarat tunc de praesidio Tiberio dando *senatus consultum factum* esse (quid enim sibi volebat illa, si nihil ad Tiberium relatum erat nisi hoc: *unum senatorem* censuisse illud et per deridiculum esse auditum?) atque Taciti narrationem tam esse imperfectam ut sensu cassa videri possit.

Denique, si quis aniles Taciti nugae de superstitione quamvis absurda cognoscere cupit, is mihi libri VI legat caput 22: adversus mathematicorum fraudes tam parum firmum se vix quisquam unquam praestitit quam hoc loco nobilissimus historicus noster.

XIII.

Redeo nunc eo unde tota haec profecta est disputatio. Nihil unquam obstitisse demonstravimus quominus quisquam, qui ingenio memoria industria satis valeret, quam optimus evaderet historicus, legemque illam Nissenianam auctoribus ducibusque Woelfflinio Boissierio aliis eo amandavimus, ubi cum ceteris scrutis et doctae servantur ineptiae. Quae essent eius officia qui res gestas narraret nemo paulo cultior ignoravit unquam; Tacitus vero saepe probe se nota illa habere disertis declaravit verbis. Historiam qui narret ei omnes esse consulendos unde discere possit aliquid, non solum scriptores aetate maiores sed cunctos, qui rei narrandae aequales superioresve fuerint, vel rumorem aliquem late sparsum fideli tenerint memoria; si illi inter se dissentiant accurate religioseque esse examinandum quid sit verisimile; cum sibi aliquam rei propositae informarit imaginem satis probabilem, ea illam esse exornandam oratione quae deceat maxime; postremo in toto negotio iram et studium procul esse habenda persuasum fuit Tacito, et cui non fuit persuasum, qui quidem in bonis artibus et in re literaria non plane esset hospes? Atque haec omnia in ipso opere fideliter observare nulla quemquam unquam vetuit lex, quae quidem extrinsecus esset allata, sed et Tacitum et ceteros omnes interdum communis illa vetuit lex infirmitatis humanae. Equidem maximi Tacitum facio, summaque cum delectatione legi quae nuper ad

defendendum eum contra iniquas criminationes conscripsit Boissierius ¹⁾, neque infitior vix quemquam ante Tacitum tam strenue operam dedisse ut communia scriptorum atque adeo hominum vitaret vitia. Sed in una re a Boissierio mihi dissentendum video: singula quaeque ego examinanda esse arbitror, et si qua res narrata aut ipsa incredibilis nobis videatur, aut Taciti narratio vitium crepet, confidenter id nobis esse pronuntiandum, et neque ipsius Taciti, quamvis magni eum faciamus, auctoritatem, neque Suetonii consensum, neque quidquam ex hoc genere tantam habere vim debere ut de singulis quid censeamus vereamur proloqui.

Iam vitia quaedam Taciti in praecedentibus hic illic notavimus. Vidimus eum modo (ut lepida hic utar inscriptione qua Naberus egregiam illam de Sili Messalinaeque nuptiis disputationem exornavit, Mnem. 1892 p. 410 sqq.) „fluctum in simpulo movisse”, dum e nuptiis theatralibus veras nuptias, vel e doctorum iurisconsultorum disceptatione gravem senatus faceret deliberationem, vel denique causas privatas a causis publicis non satis accurate dirimeret; modo rem ita narrasse, ut quod in ea maximi fuerit momenti latuisse eum ultro appareat; modo locorum situm haud satis in promptu habuisse; modo alicui ita favisse ut quidquam ab illo crudeliter, quidquam stulte factum esse non agnosceret; modo in auctoribus legendis eos commisisse errores quos ne nobis quidem corrigere admodum sit difficile.

Nunc autem de eodem argumento ita disputare lubet ut magnus illorum numerus ad certa redigatur genera. Atque in hac re ipse Boissierius, quem, ut par est, et hic et semper honoris causa nomino, initium mihi praebebit.

Historicum nostrum legentes interdum *rhetorum agnoscimus discipulum* ²⁾. Nunquam tamen certius illum rhetorum disci-

1) In „Revue d. deux Mondes de 15 Mai, 15 Juillet, 1 Decembre 1901”.

2) Ipsius Boissierii verba sunt „l'élève des rhéteurs reparait”.

pulumprehendimus quam cum duos Annalium locos, e libro XI alterum, alterum e libro XII, inter se comparamus.

XI. 1. „(Messalina) Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse quondam adulterum eius (Poppaeae Sabinae) credidit; pariterque *hortis inhians*, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suillum accusandis utrisque immittit.”

XII, 59. „At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurum, opibus illustrem, *hortis eius inhians* pervertit accusante Tarquatio Prisco.”

Pulcher, profecto, orationis flosculus est illud ‚hortis inhians’, egregieque illo depingitur intemperies uxoris impotentis, quae cupidine accensa insontes perverterit. Sed, quamquam lubenter concedo pulchros hortos ex eo rerum esse genere, quas avarae crudelesque mulieres prae ceteris habere atque adeo per summum scelus obtinere nitantur, tamen, quia non de sola Messalina vel Agrippina, sed de utraque Claudii uxore hisce agitur locis, illud *hortis inhians* ne non tam ad accurate rem tradendam quam ad legentium animos ira et indignatione commovendos utrobique sit positum metuere incipio.

Hoc certum est eleganter terseque conformandi loci studium semel eo adduxisse Tacitum ut in considerandis rebus, quas paulo ante narraverat, apertum committeret errorem.

H. IV, 33. Civilis cum parte copiarum improvisum facit impetum in Vocolae castra; iamque ibi legiones ipsas sternere incipiunt cum subito fortuna pugnae mutatur:

„Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae dum castris propinquant, audito proeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt latioreque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novaesio, aliis a Mogontiaco universas copias advenisse credentibus. Is error Romanis addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, trucidantur: eques

evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. Caesarum eo die in partibus nostris maior numerus, set imbellior; e Germanis ipsa robora. *Dux uterque pari culpa meritis adversa, prosperis defuere.*"

Narrationem claudit sententia venustissima, sed cuius altera tantum pars rebus ipsis et veritati respondet, altera est falsissima. Quid enim? In utroque duce *culpa* fuit, eaque admodum gravis: Voculae negligentia factum est ut Civilis Batavique „improvisi castra involare" possent; Civilis sternendis, quos ante oculos habebat, hostibus nimis intentus, quid a tergo fieret non animadvertibat, neque ergo prohibere potuit quominus suorum magna pars trucidaretur. Igitur in utroque duce non solum *culpa* fuit sed etiam *par culpa*, summae nempe negligentiae. Sed illud „prosperis deesse" in unum Voculam convenit. Nam Civilis quidem, quamdiu res prospere suis cedebat, minime defuit: immo nisi „repente novo auxilio fortuna pugnae" mutata esset, ipsas legiones Romanorum occidione occidisset. Quid enim est „prosperis deesse"? Ut opinor: victoria sua non abuti, sed socordia mollitiaeque hostibus occasionem praebere subtrahendi sese periculo. Hoc Vocula commisit; etenim: „eques (Batavorum) evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant"; magnopere ergo reprehendenda eius negligentia, si verum est, quod tota narratione significat Tacitus, penes Voculam fuisse etiam captivos illos signaque recuperare. Batavorum vero ducem eadem complecti vituperatione absurdum videtur.

Laudatur saepe Taciti „psychologia": pectoris humani recessus, quamvis abditos, nulli magis quam illi fuisse notos communis est quaedam hominum opinio. Neque ego nego admodum multas ex eius libris afferri posse sententias, quibus secretae hominum cogitationes, causaeque remotissimae, quae interdum ad agendum impellant homines, optime describantur. Sed plerumque ea arte utitur ad eorum ingenia et facta

depingenda, qui morum pravitate animique vitiis innotuerunt. Et sive ipse vitae usus severum eum acerbumque reddidit censorem, sive scribendi genus, quo semel uti coepit, eum impulit ut semper obscurioribus uteretur coloribus semperque tristiores legentibus proponeret tabulas, indulsisse eum pessima quaeque credendi studio, nemo iure infitiabitur. Insignia quaedam modo protuli exempla, sed nescio an omnibus sit disertius illud quod ante quatuor proposui annos (Mnem. v. 26 p. 314 sqq.). De Othone Poppaea Nerone primum Tacitus (Hist. I; 13) eadem fere narravit quae Suetonius, Dio, Plutarchus, estque ea narratio eiusmodi ut praeter summam levitatem nihil in iis possis reprehendere. At aliquot annis postea (Ann. XIII, 46) eosdem illos ita depingit, ut abiectissimi fiant mortalium, quos nemo non indignabundus aversetur. Verum accurate locum illum aspicienti apparet ibi quoque antea leniorem, mitiorem, certe simpliciore scriptam fuisse narrationem, posteaque illam deletam et in eius sedem dirioram istam atrocioram intricatorem insertam, sed ita ut quae statim sequuntur haudquaquam cum ea cohaereant. Nam narrationi, quam Hist. I, 13 habemus, apte adiiceretur: „hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit”; cum narratione, quae nunc A. XIII, 46 legitur, eadem verba coniungi nullo modo possunt. Apparet ergo alteram narrationem, quia tanto peiores exhiberet homines, Tacito adeo placuisse ut illi vix cognitae statim priorem cedere iuberet, de huius partis oeconomia non sollicitus sed de „psychologia” etiam, si fieri potest, minus.

Sat gravis, ut opinor, hic error est; graviorem notabo, quo non singulorum hominum, sed totarum civitatum „psychologia” ludibrio habetur. A. VI, 42 de Artabano, Parthorum rege, haec narratur:

„Plebem primoribus tradidit *ex suo usu*: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est.”

Itane vero? *Ex suo usu* i. e. ut ipse tutius securiusque regnaret Artabanus plebis potentiam fregit et optimatibus rempublicam tradidit? Quis unquam talia docuit? Nonne tota historia testatur nullam esse certiore viam, qua ad tyrannidem perveniatur, quam nimiam plebis potentiam, non esse alias res tam inter se inimicas quam regnum et aristocratiam, et malos reges in nullos alios cives tam saevire quam in homines summo loco natos? Ignorabatne ergo Tacitus, quod nunc ne pueris quidem ignotum est, dummodo Ovidii narratiunculam de Tarquinii praecepto necatisque Gabiorum principibus legerint? Certe hoc loco rei tam certae tamque usu firmatae immemor videtur. Non enim facile mihi persuadetur *ad solos Parthos* verba allata pertinere. Hoc si voluisset Tacitus, disertis declarasset verbis hac in re Parthici regni conditionem plane ceterorum populorum regnorumque naturae fuisse oppositam. Nunc vero ita loquitur ut eum de omnibus, quae sunt atque fuerunt, civitatibus cogitare sit perspicuum.

Est et alius locus omni disciplinae politicae contrarius, qui vitiosus quidem traditus est nequedum in integrum restitutus videtur (v. p. 88), sed quocunque modo eum emendamus, remanet vitium quod nunc notabo. H. II, 6. Muciani Vespasianique milites cognito primum Othonem, deinde Vitellium per scelus imperium rapuisse, vehementer indignantur, fremunt, vires suas circumspiciunt. Sequitur c. 7:

„Non fallebat duces impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari. Bellum cum In victores victosque nunquam solida fide coalescere; nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret”.

In *cum In* ¹⁾ latere casum aliquem vel substantivi *civis* vel adiectivi *civilis* multi viderunt; ergo propositae sunt lectiones: *belli civilis*, *bello civium*, *bellorum civilium*, quae omnes

1) In imagine phototypica legi nequit hic locus.

eandem praebent sententiam. Sed ipsa illa sententia num vera est? Immo falsissima, et refutat eam ipsa omnium populorum historia. *Bellorumne civilium* victores et victi nunquam solida fide coalescunt? Immo vero exteri quoque, a fortiori populo vi armisque subacti, cum illo, saepe post multa saecula, sed tandem tamen, tam firmiter coalescunt ut discerni iam vix possint. Et quod ad bella civilia pertinet, num imperante Augusto adversarii eius esse perstiterunt, qui quondam cum Bruto et Cassio fecerant? Immo multi eorum amicissimi eius facti erant; omnes gaudebant tandem aliquando res bene esse compositas et praesenti reipublicae statu laetabantur: de Bruto Cassioque *οὐδεις λόγος*. Multo minus sub finem Augusti quemquam superfuisse credo qui Antonium desideraret. Ergone Vespasiani tempore quidam cives inter necivum inter se odium fovebant memores alteros olim inter Vitellianos fuisse, alteros favisse Othoni? Cui hoc persuadetur?

Deinde Tacitus rerum quibus ipse, sive in senatu sive alibi, interfuit, adeo memor est semper, ut nonnumquam de priori tempore scribens sibi aetatem Domitiani narrare videatur. Quod ut exemplis probem, res paulo altius mihi est repetenda.

Agricolam quo consilio scripserit Tacitus nondum satis, ut opinor, inter viros doctos constat, neque ego quaestionem, olim saepe agitatam, nunc redintegrabo. Unum hoc dico, non simplex illud consilium fuisse, sed et alia eo libello spectasse Tacitum et hoc ut *socerum defendendo semet ipsum defenderet*. Etenim postquam „rediit animus” civibus Romanis, Nerva Traianoque libertatem et principatum miscentibus, commune hominum odium se convertit in eos, qui apud saevum tyrannum Domitianum gratia potentiaque floruerant. Quam rem licet et alii scriptores haud uno loco doceant, nihil tamen est quod eam in clariore ponat luce quam epistola

Plinii I, 5 de Aquilio Regulo, ne nunc iniuriarum calumniarumque suarum poenas det sollicito. Sed non delatores tantum et omnes, qui Domitiano regnante potentiam suam crudeliter exercuerant, in magno tunc versabantur periculo; illi quoque in invidiam adducebantur, qui aut a Domitiano altiorem aliquem in republica locum acceperant, aut etiam salvi funestam illam multis dominationem evaserant. In eorum numero et Agricola fuit, qui licet tyrannus ei proconsalutum, quem speraverat, inviderit, tamen per decem annos privatus et tutus ab illo vixit. Neque ipse negare Tacitus potest suam dignitatem a Domitiano longius provectam (H. I, 1). Quid quod per aliquot annos in senatum venit cum saevissima ibi fierent consulta, Domitiano vultus singulorum notante, et tantum abfuit ut illi turpitudini obsisteret, ut postea cum gemitu lamentisque fateretur: „nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit” (Agr. 45) ¹⁾. Et alia ergo, de Agricola narrans, sed hoc fortasse praecipue demonstrare studet: „posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eorum laudes excedere, qui plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum *ambitiosa* morte inclaruerunt” (Agr. 42). Laudantur hic qui sub Domitiano *modesti* fuerunt et in *obsequio* perstiterunt, iisque opponuntur atque satis severe perstringuntur „qui in nullum rei publicae usum *ambitiosa* morte inclaruerunt”. Qui sunt illi? Philosophi in curia stoici, qui quidvis perpeti maluerunt quam a recta conscientia vel transversum unguem recederent, atque ergo Domitiani saevitiam summa cum libertate notarunt. Non potest non admirari viros illos magnos Tacitus, et tamen de eorum laudibus quam plurimum detrahere studet: sentit

1) Praeclare hac de re egit Boissierius in iis commentationibus, quas modo laudabam.

enim, si illos nimis suspiciant aequales sui, periculum esse ne ipse cum socero suo, quique praeterea fuerint modesti cautique, vulgo contemnantur despicianturque. Hinc illa in illius sectae homines mordacitas admirationi iuncta. Quod philosophos ex urbe expulit Domitianus tamquam gravissimum tyranni in totam humanitatem proponitur peccatum (Agr. 2), et tamen eosdem illos non minus bonos philosophos et prudentiores homines futuros fuisse, si silere potuissent, ubi certa adesset libere loquentibus pernicies, identidem demonstrare conatur . . . frustra, ut ego censeo. Hinc fit ut revera genio indulgere videatur cum eorum unum ludibrio habere possit Musonium Rufum, de quo in Historiis locus est, qui facetus videri posset, nisi tantum inesset acerbitatis (III, 81):

„Miscuerat se legatis” (quos ipse senatus ad Antonii Primi milites miserat concordiam pacemque suasuros) „Musonius Rufus, equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus, coeptabatque permixtus manipulis bona pacis ac belli discrimina disserens armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant, qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam.”

Nam Musonius Rufus, licet dirissimum illud Domitiani tempus fortasse non viderit, ergoque Tacito Agricolae aliisque modestis cautisque hominibus certamen cum illo non sit, tamen communi in Stoicos invidia comprehenditur. Quid quod ne de Thrasea quidem et Seneca aliisque Neronis victimis loqui potest Tacitus, quin eorum laudibus admisceat amari aliquid. Nonne de Domitiani temporibus cogitat cum Thraseam dicit „sibi causam periculi fecisse, ceteris libertatis initium non praebuisse” (A. XIV, 12)? Et tamen quid tum fecerat Thrasea? Locus est paulo obscurior, fortasse corruptus, hoc tamen elucet obstitisse Thraseam senatoribus Neroni abiectissimum in modum adulantibus.

Et ne putemus Tacitum illud consilium suam socerique prudentiam modestiamque, prae „Stoicorum istorum intempestiva sapientia” extollendi omittere, cum de Tiberii scribit tempore, haec consideremus verba ex IV^o libro Annalium c. 20:

„Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior, nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit. Neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium vigerit. Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.”

Unquamne duos locos, diverso tempore scriptos, tam inter se cognatos vidisti quam hunc de via media tutissima illumque ex Agricola de magnis viris, qui etiam sub malis principibus tuti fuerint? Et nonne utrobique, tamquam in transitu, perstringuntur „insani” illi, qui tota sua vita non tam quid esset cautissimum maximeque periculis vacuum, sed quid virtus officiumque suum postularet rogaverint? Laetus se aequalem aliquem Tiberio invenisse Agricolam, ea occasione utitur dilectam illam sibi proferendi reprehensionem eorum virorum, de quibus cogitare non potest quin comparisonem vereatur. Fueritne Tiberio imperante eadem Stoicis virtutis suae ostentandae occasio quae sub Domitiano, parum curat, vel potius talem sua narratione Tiberii principatum fingit ut locus sit et cautis hominibus summum vitae periculum mira quadam vitantibus prudentia et „abruptae contumaciae”.

Boissierius in egregiis illis, quas proximo anno publici iuris fecit, de Tacito disputationibus et alia multa profert dignissima quae accurate perpendamus et hoc: „Domitianus neque fuit fatuus ut Caligula, neque hebes ut Claudius; multo magis Tiberii similis est.” Non miramur viro, qui in Tacito totus

sit, ita videri, nam strenue operam dat Tacitus ut talem nobis Tiberium animo informemus. Strenue operam dat, aio; non enim imprudenti Tacito, cum de Domitiani cogitat tyrannide, Tiberii principatus in mentem venit; omnibus modis efficere studet ut illi principes quam maxime inter se fiant similes. Ipse hoc disertis verbis declarat A. IV, 32. In arto sibi esse et inglorium laborem ait; non posse suos libros cum eorum comparari historiis, qui de libera scripserint republica: tunc omnia fuisse magna, gloriosa, excelsa; amissa libertate vix quidquam esse actum quod non memoratu leve videri debeat. Tum, postquam in universum exposuit quid intersit inter populare imperium et unius viri dominationem, sic pergit:

„Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatum ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes habebantur, sic converso statu, neque alia republica, quam si unus imperit, *haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur.*”

Paulo diligentius verba notata inspiciamus, quanti sint momenti ad Taciti consilium intelligendum apparebit. Nam Boissierius nuperrime (*Revue d. deux Mondes* 15 Mars 1902 p. 345) de iis disserens non satis accurate veram eorum vim explorasse videtur.

Nisi adiectivum *honesta* esset additum, utcunque credere possemus hic *in universum* mentis humanae notari infirmitatem. Nam quid prudens sit, quid deterius (i. e. imprudens), quid utile, quid noxium *in republica*, plerosque fugit, quamquam semper tamen pauci pluresve fuerunt, qui in hac re ceteris civibus plus callerent. Sed quando factum est ut plures quam ullo alio tempore huius rei inscii essent? Nempe

imperante Domitiano: tum enim stupor quidam et torpor omnium invasit animos, isque (id quod ad nostrum locum illustrandum unice veram affert lucem) simul Romanorum mentes adeo hebetavit ut quid honestum esset, quid turpe et ignominiosum aut nescirent aut non sentirent et curare negligenter. Etenim tum „nostrae (i. e. senatorum) duxere Helvidium in carcerem manus, nos Maurici Rusticique visus (?), nos innocenti sanguine Senecio perfudit”, ut ipse declarat Tacitus (Agr. 45), quae verba quam contineant confessionem ét proximo anno egregie Boissierius exposuit, et eiusdem diarii eo fasciculo, quem modo laudabam, si fieri potest, etiam luculentius. Ergo crudelis illa Domitiani tyrannis plerisque ademittit non prudentiam tantum civilem et politicam, ad quam semper pauci tantum pervenire solent, sed etiam virtutem et dignitatem civilem, cuius vel in libera republica vel sub domino aequiore et leniore admodum pauci sunt expertes. Hos omnes nunc meliora edocebit Tacitus; Domitiani qualis esset dominatio aequales recte perspicere et sentire prae torpore non potuerunt; hoc damnum Tacitus compensabit accurate Tiberii facinora enarrando. Tiberii ergo tempus illo narrante alterum Domitiani tempus fiet, Tiberii facta Domitiani atrocitatem explicabunt illustrabuntque. Et miremur etiam, qui hac aetate Tacitum accurate legerit, ei tam similes inter se Domitianum et Tiberium videri?

Taciti, de imperatoribus e gentibus Iulia Claudiaque iudicium ferentis quae sit „fides historica”, dudum multi disputarunt et acris fuit de hac re inter viros doctos contentio. In eo autem totam consistere causam ut quaeratur de *Tiberio* utrum aequus an cupidus iudex fuerit Tacitus, semper omnes intellexerunt et nuperrime disertis verbis pronuntiavit Boissierius. Recte ergo Karstenus nostras, cum in hanc rem inquireret, ea praesertim collegit quae de Tiberio a Tacito parum vere narrata viderentur. Cuius libellus („de fide Taciti

in sex prioribus Annalium libris”), ab adolescente conscriptus, multa habet acutissime prudentissimeque observata, paucissima vero, ut ego opinor, quorum nunc virum, insigni laude conspicuum, pudeat poeniteatve. Sed, quod plerumque nostratium lucubrationibus accidit, id Karsteni quoque libello evenisse videtur: nemo iam illum respicit. Felix quod non — nam id quoque saepe fieri videmus, cum nostrae gentis aliquis ea in medium protulit, quae neque in dubium vocari possint et maximam habeant utilitatem — post eum aliquis existit, qui plane idem doceret et posthac tamquam qui *primus* illud docuisset vulgo a viris doctis citaretur. De fide ergo Taciti scribitur disputaturque, tamquam si nullus unquam Karstenus vixisset. Quae res cum mihi semper indignissima visa sit, ad idem delapsus argumentum lubentissime hac utor occasione eius laudandi viri, qui ante multos annos diligentissime doctissimeque illud tractavit.

Dicebam autem cum aliis rebus hoc quoque (et fortasse „hoc praesertim” dicendum erat) obstitisse quominus aequus esset de Tiberio iudex Tacitus, quod de Tiberio scribens Domitianum ante oculos haberet, et sibi iam ab initio persuasisset parum interesse utrum aliquis de Tiberii an de Domitiani imperio edoceret: utriusque enim imperatoris eandem fuisse pravitatem. Nunc singulos quosdam considerare locos, quibus iniquum aliquod de Tiberio contineatur iudicium. Pauca, sat scio, proferam, quae non a Karsteno dicta sunt, sed fortasse quaedam, ad hanc spectata lucem, melius apparebunt.

A. I, 73. De novo criminum genere, quod tum primum exstiterit, haec narrantur:

„Falanio obiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset, quodque venditis hortis statuum Augusti simul mancipasset.

Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti.”

Vides quod sit novum illud genus; famosum illud *maiestatis* crimen tunc in rempublicam introducere quidam conati sunt, quod postea tot insontes, nobiles atque ignobiles pessum-dedit. Quid vero Tiberius, cognita nova adulatione, qua cal-lidi homines quaestum sibi instituere conati sunt? Scripsit consulibus:

„Non ideo decretum patri suo caelum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis, quos mater sua in memo-riam Augusti sacrasset; nec contra religiones fieri, quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hor-torum et domuum accedant. Iusiurandum perinde aestiman-dum, quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curae.”

Potuitne quidquam vel optimo imperatore dignius respon-deri, quidquam sapientius, clementius, mitius, quidquam con-stantius adversus illos omnium imperantium veros inimicos, qui eos abiectis adulationibus, dum attollere videntur, ultro in praiceps rapiunt? Quodsi tota haec epistola tantummodo documento esset, quanta Tiberii vixdum imperium adepti fuisset prudentia, quamque sagaciter quid sibi vitandum esset perspexisset, tamen vel hoc nomine magnopere esset lau-danda. Quid vero Tacitus? Si haec praemisisset: hoc nar-rationis suae esse consilium

„ut quibus initiis gravissimum exitium irrepserit, dein re-pressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit noscatur” aptissimo eam exornasset prooemio. Nunc vero non haec sola scripsit, sed post *initiis* inseruit etiam *quanta Tiberii arte*, et sic primum ipse sibi obloquitur, nam nullo modo verba *repressum sit* et *quanta Tiberii arte* inter se conciliari pos-sunt: *repressit* haud dubie in praesentia exitiabile illud malum Tiberius, quod non *artis* (i. e. fraudis atque fallaciae) est, sed egregiae prudentiae magnum a republica avertentis peri-

culum. Deinde cupidissimum se adversus Tiberium praebet, qui ex egregio Tiberii responso suspicionem petat simulationis tam perfidae tam abominandae ut vix in quemquam mortalium convenire videatur. Ain vero! Sicine respondendo atque sic repellendo eo, qui nova crudelitate commaculare rempublicam primus est conatus, hoc spectavit Tiberius ut ad ipsam illam calamitatem viam muniret? Ne de Domitiano quidem si quis talia traderet, fidem ei haberemus. Hoc certum est *Domitiani* „naturam obscuram” (Agr. 42) Tacito ante oculos obversatam esse, cum de Tiberio tam incredibilia sibi fingeret ¹⁾).

Ann. I. 76. „Eodem anno continuis imbris auctus Tiberis plana urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. Rennuit Tiberius . . . sed remedium coërcendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum.”

Vides quid intersit inter hominem ineptum fatuumque et prudentissimum mortalium imperatorem. Quodsi et ipse suspensiones movere vellem, easque minime de nihilo fictas, conicere possem non tam stulta infirmitate motum illud de libris Sibyllinis censuisse Gallum, sed sperantem fore ut ibi legeretur aliquid, quod rerum mutationem atque ipsi imperium

1) Hanc Tiberii cum Domitiano confusionem non commemoratam inter causas cur tam perverse de Tiberio iudicaverit Tacitus a Stahrio in praeclara illa Tiberii defensione saepe miratus sum. Sed commemoravit eam qui multis post Stahrium annis idem tractavit argumentum: Tarverus in libro c. t. „Tiberius the tyrant”, qui liber, licet quod ad doctrinam et disputandi subtilitatem pertinet cum Stahriano conferri nequaquam possit, haud pauca habet quae iure probemus. In quibus et hoc est quod p. 265 dicit: „in fact, the Tiberius of Tacitus was not Tiberius at all, but Domitian”. En *συνέμπτωσι* insignem mihi que iucundissimam! Nam Tarveri liber paulo prius quam haecce commentatio in lucem prodiit (a. 1902): neque ergo ille eam, cum scribebat, cognitam habuit, et, ad me cum primum Tarveri liber perferebatur, meae de Tacito lucubrationes nondum quidem prelo impressae erant, sed iam aliquam diu perscriptae conservabantur apud Mnemosynae collectores. Credibile est eodem die et me et illum haec de Tiberio Domitianoque chartae mandasse.

promitteret. Scimus enim eum Augusto visum esse „avidum (imperii) et minorem” (A. I, 13), scimus quoque (e Servio ad Virg. Ecl. 4) *ab illo* fabulam sparsam, qua de *Pollionis* consulis filio summa quaeque, tamquam de futuro imperii capite, vaticinatum esse Virgilium quidam crediderunt (cf. Boissier la Religion Romaine vol. I). Quae si non vana suspicio est, non solum ideo Tiberium admiramur, quod ineptae de libris Sibyllinis inspiciendis sententiae prudens opposuerit consilium totius negotii sagacibus peritisque mandandi viris, sed magis etiam hanc ob causam, quod stolidum aemulum, quamvis eius perspiceret artificia, rebus potius quam verbis refutarit. Certe nihil hic commisit Tiberius quod vel levissima dignum esset vituperatione. Et tamen Tacitus, eo loco, quem reliqui vacuum, quid posuit? Nempe *perinde divina humanaque obtegens*, quae verba vix interpretationem admittunt ullam: quis enim pro certo statuere possit quae sit eorum sententia? Unum hoc videmus hic quoque se Tacito abstrusam arcanique appetentem Domitiani obtulisse indolem — si usquam intempestive, hic profecto. Nam de Tiberio quae hic narrantur, omnia sunt quam apertissima simplicissimaque.

Sed omnino nusquam magis studio omnia, quae Tiberius fecerit aut non fecerit, in deterius detorquendi indulget Tacitus quam hoc capite. *Non fecerit* aio, nam ne quae a Tiberio neglecta, ommissa, spreta quidem sunt turpissima carere suspitione Tacitus patitur, licet facillimum sit honestissimam afferre causam. Videamus modo quae porro narrantur eodem capite:

„Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus formidolosum et pater arguisse dicebatur.”

Hactenus omnia de Tiberio satis honorifica, dicitur enim filii crudelitatem identidem vituperasse. Ergo cum deinceps legimus:

„Cur abstinerit spectaculo ipse varie tradebant 1)“
clamare in promptu est: „at, o bone, nobis nil opus istis
varie trahentibus vel *tradentibus*: ipse enim nobis causam
suppeditas idoneam: si filii crudelitatem vituperare solebat
Tiberius, haud dubie nobis inde efficere licet ipsum eiusmodi
spectacula in deliciis non habuisse, et quamquam aequi fuerat
scriptoris hanc quoque causam disertis proferre verbis, *tuum*
tamen „silentium“ molestias nobis non exhibet, quia tam
facilem nobis coniectandi reddidisti rationem. Audiamus tamen
quae ab auctoribus tuis proferantur: „alii taedio coetus“. Idonea profecto causa, quaeque, licet parum sit honorifica,
nulla tamen Tiberium afficit contumelia. „Quidam tristitia
ingenii et metu comparationis, quia Augustus comiter inter-
fuisset.“ Hoc quoque humanum est, neque vitio vertere alicui
solemus si pro re nata vultum mutare non potest. Quid quod
semel de Tiberio clementius iudicare paratis ultro facultatem
praebes e verbis tuis, quamvis malevolis, efficere a sanguine
et saevitia tunc certe Tiberium abhorruisse. Quod vero haec
quoque refers: „ad ostentandam saevitiam movendasque
populi offensiones concessam filio materiem“ bilem moves,
licet haec praemiseris vocabula: „non crediderim“. Subiicis
enim: „quamquam id quoque dictum est“; his vocabulis
totum claudis locum, atque sic in legentium animis τὸ κέντρον
ἐγκαταλείπεις. Cum causae idoneae, simplices, verisimiles aliae

1) Sic enim legendum censeo pro *varie trahabant*. Nam saepe quidem verbo
trahendi additur aliquod substantivum, quod reprehensionis vim habeat, prae-
missa praepositione *ad* vel *in* c. accusativo, ad significandum aliquam rem
improbari, e. c.

A. I, 62, 3 cuncta Germanici *in deterius trahenti*

III, 22, 6 quidam *ad saevitiam trahabant*

IV, 64, 1 fortuita *ad culpam trahentes*

H. II, 20, 1 ornatum ipsius *in superbiam trahabant*.

Ideone etiam *varie trahere* licebit dicere atque inde suspendere sententiam
interrogativam? Non opinor. Sed res nobis est cum iis rebus quas fama *tra-*
debat et rumor hominum.

prolatae, aliae indicatae sunt, eiusmodi etiam addere suspiciones, longe arcessitas, aperta cum praecedentibus fronte pugnantes, ab ipsa abhorrentes humana indole, non gravis atque veracis est historici sed maledicae mulierculae. En quo te ducat istud Tiberii cum Domitiano conferendi, vel potius confundendi, studium!

Ann, II, 38. Marcus Hortalus, oratoris Hortensii nepos, atque omnino nepos (agnoscimus enim ex tota narratione hominem nequam, qui inepta luxuria patrimonium dilapidarit), quamquam semel iam insigni liberalitate Augusti adiutus est, postquam ingentem quoque illam pecuniam (decies fuerat sestertium) insanis profudit sumptibus, iterum petere ut sibi ex aerario subveniatur non veretur; lacrimosam ad senatum habet orationem et τὰ παιδάρια ἀνέλκει. Respondet homini Tiberius oratione plena prudentiae, plena dignitatis, in qua omnia sunt egregia, haec tamen vel praestantissima:

„Non preces sunt istud, sed efflagitatio, intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelus explendum erit. Languescet alioqui industria; intendetur socordia, si nullus (an *nulli?*) ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves.”

Quis unquam princeps melius obstitit indignorum precibus impudentibus, quis eos redarguit oratione pro se honestiore, pro republica utiliore? Quid ergo attinebat acerbam hanc praemittere interpretationem:

„Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur, his verbis usus”? Habet profecto ipsa oratio, quo se defendat commendetque; sed si verum esset quod infesto Tacitus fingit animo, si Tiberius ideo Hortali precibus

adversatus esset, *quia* intelligebat favere ei senatum, nonne haec quoque eius prudentia vehementer esset laudanda? Nam cur Hortalo faverent plerique senatores sollerter perspiciebat, nempe ut ipsi quoque idem haberent egestatis subsidium; pro aerario ergo pugnavit fortiter, certamque ab eo avertit perniciem nullorum veritus iram invidiamque. Quid attinebat hoc eum condemnare iudicio non magis malevolo quam falso:

„Haec atque talia, quamquam cum adsensu audita ab iis, quibus omnia principum, *honestataque inhonestata*, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere”?

Cur *inhonestis* adnumeratur praeclara Tiberii oratio, aut certe in medio relinquitur utrum ad inhonestata potius an ad honestata sit referenda? Cum praesertim etiam commemorandum sit egregium Tiberii factum, quo luce clarius demonstravit non suum sed reipublicae commodum unice cordi sibi esse: etenim ex sua arca Hortensii filiis ducena adnumeravit sestertia, atque (nam hoc etiam gravius) reticere non possit scriptor postea apparuisse omni auxilio indignum esse Hortalum. Nam quod illam rem his exornat verbis Tacitus:

„Neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur”

quid esset in iniquitate summum declaravit. An boni principis est tam diu nobilium hominum levitati et vanitati opem ferre, donec aut aerarium sit exhaustum aut ipse pudendam ad inopiam delapsus”?

II, 84. Nihil a Tiberio dici potuisse, quamvis esset innocuum, quin acerbissimum inveniret censorem Tacitum, hic locus vel praecipue documento est:

„Ceterum recenti adhuc maestitia (sc. ob mortem Germanici) soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est”.

Quem non de plebe avum eiusmodi res insigni afficiat gaudio? Ipse Tacitus testatur illud „rarum laetumque etiam

modicis penatibus" fuisse. Nihil ergo est cur Tiberii ob eandem rem miremur laetitiam. Qui si de ea ad senatum paulo liberius, quin etiam paulo insolentius, locutus est, quis tam iniquus ut statim iactationem et non ferendam superbiam odoretur? Nonne proloqui ei licebat: „nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam"? Praesertim, si verum erat illud: id autem ipse Tacitus verbis modo allatis testatur. Quid ergo attinebat odiosa ista praemittere verba: „tanto gaudio principem affecit, ut non temperaverit, quin iactaret"? Quae et ipsa inter se certant: nam si illam Tiberii orationem *insolitum gaudium* provocavit, nullus iam *intemperantiae* et *iactationis* relinquitur crimini locus. Cur denique mordacia ista annectuntur: „nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat"? In bono principe facile eiusmodi ferimus dicta; malum aliquem fuisse principem ex illis efficere nolumus. Sed hanc iniquitatem non ex studio illo Tiberii cum Domitiano conferendi natam esse, verum ex alio eam manasse fonte testatur capitis finis:

„Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret." Cf. Karstenus p. 92 sqq. de Drusi, Tiberii filii, et Germanici Agrippinaeque factionibus prudentissime disputans.

A. II, 88. „Reperio apud scriptores ¹⁾ eorundem temporum Adgandestrii principis Chatterum lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur, responsumque esse non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.

1) In codice est *apud scriptores senatoresque*, atque sic editur. Quae lectio cum a nullo mortalium intelligi posset, fuerunt qui eo fundamento uterentur ad celsas doctrinae turres exigendas. Mihi res admodum simplex videtur: in nostri codicis avo proavove pro *scriptores* facili errore scriptum fuit *senatores*; in margine corrector veram lectionem *scriptores* appinxit. Cuius consilium cum non perspiceret is, qui illo exemplari ad novum faciendum codicem utebatur, ex errore et correctione suam sibi lectionem conflavit.

Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque.”

Nisi certum stetisset Tacito consilium ex omnibus rebus, etiam absurdissimis, invidiam in Tiberium conflandi, prudentius hic egisset, totamque rem in dubium vocasset. Est enim admodum insulsa ineptaque. An si princeps Chatterum illo modo Populo Romano navare operam eiusque inire gratiam cupiebat, nullane alia ad Arminium patebat via? Nonne, etiam si veneno tollere eum conaretur, ministris opus erat, qui sine suspicione illud ei porrigere possent? Hi autem in ipsa Arminii erant quaerendi familia, ibique facillime inveniebantur, nam, ne duabus quidem interiectis lineis, Arminium *dolo propinquorum* cecidisse legimus. Ergo aut alia ratione Germani invisos sibi homines clam necare callebant, aut, si veneno hi quoque usi sunt propinqui, eius in ipsa Germania copia tum fuit. Quodsi tamen fingimus Roma illud Germanis, qui uti vellent, fuisse petendum, quam ineptus Adgandestrius noster, qui ab ipsis patribus conscriptis illud arcessat: quasi vero Romae publica quaedam fuerit venenorum apotheca. Prudentissimum igitur fuerat eiusmodi nugas atque quisquilias eo, ubi inventae essent, relinquere loco; si tamen inde protraherentur, paucis verbis erant refutandae. Fidem vero iis habere omnium perversissimum foret, nisi aliquid perversius excogitasset Tacitus: *ideo* fidem iis habere ut posset novo Tiberium vulnerare crimine, eoque falsissimo: nam si tamen sumimus, id quod vix quisquam in animum inducet, *veram* hanc esse de Chatterum principis promisso narrationem, nemo, quem quidem non cupiditas caecum reddiderit, quidquam aliud inde efficere potest quam hoc: ne illo quidem tempore senatum a prisca degeneravisse virtute, in hac vero re parem se Tiberium Fabricio praestitisse. De inani iactatione et imitatione inepta sermo hic esse potest nullus. Aut si eiusmodi suspiciones hic sine summa iniuria proferri possunt, quidni

posthac historiarum scriptores semper et ubique illas addant etiam cum de praeclaris hominum virtutibus narrant? Nihil enim tam rectum sincerumque est quod non hac ratione detorqueri depravarique possit.

A. III, 44. Romam cum nuntius de Trevirorum et Aeduarum defectione esset allatus, vehemens sollicitudo animos occupavit, nam, ut ipse Tacitus ait: „cuncta, ut mos famae, in maius credita.” Sequitur hoc:

„Optimus quisque rei publicae cura maerebat; multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam. An Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? Extitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent. Miseram pacem vel bello bene mutari.”

De *epistolis* hic legimus, in praecedentibus (c. 38) de *una* tantummodo epistola narratum est, in quam adiectivum illud *cruentus* utcunque conveniat. Si plures eiusmodi iam fuerunt recitatae in senatu, quidni eas Tacitus enumeravit? Praeterea qui rumores illos spargunt, mirum in modum ipsi sibi obloquuntur: primum enim conqueruntur quod nunc libellis accusatorum vacet Tiberius, deinde addunt: „nunc inventi homines, qui (alias Tiberio praebentes occupationes) cruentis istis epistolis imponant finem.” Ita enim, dum accusare Tiberium sibi videntur, ultro eum laudant: agnoscunt enim eum, si revera periculum ingruat, reipublicae non defuturum. Nam quominus sic locum accipiamus ut *cohiberent* idem sit quod *cohibere deberent*, obstant vocabula *inventi tandem*. Denique res eo redit ut pro certo affirmare nobis liceat nullos eiusmodi tunc fuisse vulgi de Tiberio rumores, sed cupide maligneque eos a Tacito inventos. *Domitiano* imperante fuisse qui ita, externo oriente bello, vel loquerentur vel taciti secum censerent, credibile est. Sed videamus quae de ipso Tiberio subiiciat Tacitus:

„Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse et vulgatis leviora.”

Ain vero? Tu, qui tot annis post de illo tempore scribis, probe nosti *cuncta in maius aucta* fuisse, et dubitas etiam utrum Tiberius, qui in mediis illis viveret rebus et aetatem inter varios imperii hostes trivisset, idem notum habuerit, an se quoque sollicitum esse dissimulaverit? Domitiani illud secretum, mihi crede, tibi imposuit. Nihil enim absurdius in mentem tibi venire potuit quam hic quoque de *altitudine animi* iniicere suspicionem.

A. IV, 8. Seianus necando Druso, Tiberii filio, lentum venenum delegit, ita ut morbo absumi ille videretur:

„Tiberius per omnes valitudinis eius dies . . . etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est.”

In quovis alio, ut opinor, hic virtus antiqua vereque Romana laudaretur. Sed Tiberio nihil per Tacitum facere licet quin speciem praebeat aut virtutem ostentantis aut cogitationes suas dissimulantis. De more ergo hic quoque interiicitur:

„*nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret*”

sic enim, ne si de ostentatione quidem quidquam credere nolumus, ullus *virtuti* relinquatur locus: non fuit firmus Tiberius et dilecti filii morbo inconcussus; quod in quotidianis assidue perstabat negotiis cuiusvis etiam levissimi erat hominis: nesciebat enim gravem illum morbum esse.

Ann. VI, 1. „Caesar tramisso, quod Capreas et Sorrentum interluit, freto, Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu quia contra destinaverat, speciem venturi simulans.”

Mitto nunc plane otiosam simulationis istam suspicionem; unum dico adversus illud crimen mortalium neminem tutum esse. Videamus sequentia:

„Et saepe in propinqua digressus, aditis iuxta Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit.”

Saxa et solitudinem. De Gyaro vel Pandateria, aliave insula in quam miseri exules eiciebantur, sermonem esse putes. De Capreis agitur, quibus nullum amoeniorem esse locum probe sciebat Tacitus. Sic enim eius situm describit IV, 67:

„Caeli temperies hieme mitis obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur; aestas in favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret.”

Quare ergo hic de Capreis ita loquitur tamquam si iam tum „facies loci versa esset”? Scilicet ut Tiberio „secretum” assignaret taetrum, asperum, horrendum, ne ipso quidem Domitiano indignum. Additque hanc causam cur inamoenos illos repetierit locos Tiberius:

„pudore scelerum et libidinum.”

Verum si quidquam de inauditis Tiberii senis credimus libidinibus — nam mihi de nihilo fictae eae videntur — minime ut illas absconderet dedit operam. Etenim:

„praepositi servi, qui (*prolem ingenuam*) conquirent, *pertraherent*, dona in promptos, *minas* adversus abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.”

De praeclara Tiberii epistola, qua Togonii Galli abiectas respuit adulationes, iam vidimus et quomodo illam quoque in peius detorsisset Tacitus observavimus. Unum addo: in fine eiusdem capituli (VI, 2) haec legimus:

„Haec adversus Togonium verbis moderans, neve ultra abolitionem sententiae suaderet.” Ergo in acta referri illam sententiam Tiberius vetuit. Haud iniuria nunc qui Tacito innotescere potuerit rogamus. Sed hoc mitto; ad aliam Tiberii transeo epistolam, non minus egregiam. VI, 5. In Cottam Mesalinum omnē criminum profertur genus, etiam dicta eius, quae inter pocula prompserat, arguuntur; in hoc periculo reus ad imperatorem provocat. Qui prudenter moderateque, ut solebat:

„ne verba prave detorta, neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, postulavit.”

Atque praemisit huic epistolae exordium, quod, me quidem iudice, insignem in omni literarum Latinarum historia obtinere locum meretur:

„Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant, quam perire me cotidie sentio, si scio.”

Equidem mihi hic atudire videor senem, quem iam non imperii tantum sed et ipsius vitae pigeat taedeatque; qui imperium non appetiverit, sed cum invitus illud sumpsisset, ut quam optimus esset imperator sit conatus; qui tota quidem vita cum summo dolore expertus sit ingratum se esse hominibus et timori incutiendo aptiorem quam fiduciae dandae, extremis vero annis sero cognoverit qualis ille Seianus fuerit, cui se suaque omnia commiserit, neque recusare se posse sentiat quin illius facinora sibi vitio dentur (De Tiberio Seiani artibus obnoxio cf. Karstenus passim). Miseret profecto principis decepti et vix tandem meliora edocti, probeque intelligimus eum iam quid scribat, quomodo scribat, quid omnino non scribat frustra quaerere.

Aut si me latet vera exordii sententia, singulare quoddam et peculiare eius fuisse consilium nemo non concedet. Sed simul concedant omnes oportet Tacitum certe plane fugisse illud. Quae enim subiicit:

„Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando, ut corpora verberibus, ita saevitia libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta peccatoris suasque ipse poenas fateretur”

anilia sunt et circumforaneo oratore digna magis quam veraci historico.

Ann. VI, 19. „Iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres ignobiles dispersi aut aggerati.”

Immensa strages! De urbe ab hostibus capta sermonem esse putes, qui ferro ignique omnia vastarint, incolas obviam sibi factos trucidaverint, pepercerint nemini. At revera agitur de iis hominibus, qui, accusati quod cum Seiano fecerint, consilia eius adjuverint, emolumentum aliquod ab eo acceperint, etiam in vinculis iudicium et condemnationem expectent. Ne tum quidem, cum nil nobis de eorum numero traditum esset, *aliquot* eorum fuisse *milia* facile nobis persuaderemus: et tamen id nobis sumendum foret, nisi admodum absurdam Taciti de strage illa exclamationem videri vellemus. Quid ergo nunc nobis de ea statuendum est postquam cognovimus (e Suetonio) non plures *viginti* miseros illos fuisse? Credamusne ingentia Taciti verba satis defendi annotationibus qualis est haec Nipperdeyi:

„es ist zu bemerken dass die Hinrichtung von 20 auf einmal immer etwas ausserordentliches ist, dann aber *immensus* bei Tac. nicht mehr bedeutet als: ausserordentlich gross“?

Haud opinor; nam, quamquam verissimam esse utramque Nipperdeyi observationem omnes norunt, qui in Tacito non plane sunt hospites, tamen earum neutra impedit quominus omnia, sed praesertim ista *dispersi aut aggerati*, ab hoc loco et ab hac re quam alienissima censeamus. Et quid sibi illud *in initio descriptionis* positum verbum *iacuit* vult, nisi eo iubemur oculis nostris quodammodo latum aliquem cadaverum perlustrare campum? Sed quam tantae crudelitatis causam affert Tacitus, ea minus etiam, si fieri potest, est verisimilis. Crudelitatem tantam intelligimus, si fingimus tandem aliquando piguisse Tiberium Seiani eiusque sociorum recognoscere facinora dira, quibus ipse toti generi humano invisus esset redditus, sumimusque eum, cum semel reis sine summa sua infamia parcere non posset, quantocius defungi tristibus voluisse

decretis. Sed quis credat eum *cunctos necari iussisse* quod esset *irritatus suppliciis*? Barbarorum immanium istud est, vel potius ferarum bestiarum, non hominis, quem ad extremam usque senectutem sanae sobriaeque mentis admodum multum retinuisse vel una illa demonstrat epistola capitum 5 sq., quam modo laudavimus.

Sed quid adversus Tacitum ad extremam Tiberii provooco senectutem? Illo enim teste ne integra quidem aetate ac valetudine (v. Suet. Tib. c. 11) Tiberius ullius unquam pepercit vitae, quem de medio tolli e sua re esse statuisset. Inspice modo c. 21, ubi quomodo mathematicos, quos vanos fraudulentosque cognovisset, de rupibus deici Tiberius iusserit legimus. Neque semel eum hac ratione usum sed saepissime ex ipso narrationis initio: „quoties super tali negotio consultaret” efficeremus nisi incredibile nobis videretur vivo etiam et imperante Augusto tantum licuisse homini, qui adeo esset imperatori suspectus vel invisus, ut a „voluntario in insulam amoenam secessu” (sic enim exilium illud diuturnum appellabat Tiberius) ei per multos annos redire non permitteretur, licet supplicibus adiret Augustum precibus.

Hoc tamen constat, ad ultimos Tiberii annos cum pervernerit Tacitus, coacervare eum omnia quaecunque legentibus quam maxime invisum odiosumque principem reddant, tum praecipue operam dare eum ut ubique simulationem, gloriae studium, aliudve suspicemur mentis vitium, licet ne levissima quidem adsit culpae species, sed omnia aliquam eius virtutem designent potius. Velut hoc est quod c. 45 narratur:

„Idem annus gravi igne urbem adficit, deusta parte circi, quae Aventino contigua, ipsoque Aventino.”

Quid tum Tiberius? Ingens illud damnum summa compensavit benignitate munificentiaque. Laudarine nunc eum a Tacito putas? Immo vero: haec quoque res accusandi reprehendendi perstringendi praebet ei facultatem. Sic enim porro narrat:

„Quod damnum Caesar *ad gloriam vertit* exolutis domuum et insularum pretiis.”

Non misericordia motum tantam impendisse pecuniam Tiberium, sed ut gratiam iniret civium, vel quia putaret illam munificentiam suam decere statum locumque, si sumimus, coniectura utimur, probabili quidem, sed tamen coniectura. Et quid tum sumimus quod non vel in optimum conveniat principem? Sed qui nihil hic videre vult nisi vanam iactationem et insanum gloriae studium, is quidem legentes ludibrio habere mihi videtur.

C. 46. De tradendo imperio cogitat Tiberius, sed non facile ei est aptum imperio invenire successorem: C. Caesar suspectus ei est, nepos, Druso filio genitus, annis immaturus, mente captus Claudius:

„Sin extra domum successor quaeretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibrium verterent, metuebat.”

Nihil, ut opinor, hoc metu excogitari potest magis honorificum. An cordi non esse oportere cuius censeamus principi, ut etiam post suam mortem sui regni perstet memoria? An quemquam regem imperatoremve tam hebetem somnolentumque esse postulemus ut se cum toto suo imperio totaque sua gente in oblivionem venire aequo ferat animo? Quorsum ergo pertinet mordax istud et lividum de Tiberio iudicium, quod verbis modo allatis Tacitus adiungit:

„Quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio”?

Nonne enim egregium illud, prae fama apud posteros *praesentium gratiam* negligere? Nonne hoc semper omnes fecerunt principes, qui quidem se non ab omnibus mortalibus contemni, despici, derideri vellent? Omnino *vir* est gratiam praesentium parvi putare; plane illam despiciere, quo melius famae apud posteros consulat, principis est eiusque praestantissimi. Tacitus tamen praeclaram Tiberii sententiam pruden-

tissimumque et fortissimum consilium isto *ambitio* in dedecus convertit.

VI, 48. Sub finem Tiberii maiestatis accusantur Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius, quorum Domitius Marsusque, quoniam levis quaedam etiam est spes salutis, vitam producunt, Arruntius moras nectere non vult: forti claroque viro indignum illud iudicat, et, quod maius etiam videtur, plane inutile; denique, etiamsi prosit, in breve tantummodo tempus prodesse posse iudicat:

„Sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quem ad modum evasurum imminentis iuventam? An, cum Tiberius post tantam experientiam *vi dominationis convulsus et mutatus sit*, C. Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum?”

Hic Arruntius, quamquam ne ipse quidem ulla, vel levis-sima, laude Tiberium dignum censet, tamen vitia eius quomodo nata sint explicare studet. Quo magis mirum Tacitum ipsum nunquam eo esse adductum ut inquireret, quae esset tantae pravitatis atque adeo immanitatis ratio, qua nobis laborantem Tiberium depingit. Est ei Tiberius omnium fere vitiorum receptaculum: qua via illa in animum eius irrepserint explorare supersedet. Ceteri homines facinoribus suis, quamvis diris atque cruentis, tamen semper spectant aliquid: aut commodum lucrumque, aut, si ne illud quidem, saltem ultionem; at quos Tacitus odit — et in eorum numero fere primarium locum tenet Tiberius — crudelitate sua uni huic rei dare operam videntur: ut sint quam crudelissimi. Ergo, postquam de Arruntio narravit utcunque sibi aliisque rationem reddente quid Tiberii mores adeo corruerit et pessum-dederit, simulatque suis utitur verbis ad suum redit ingenium, Tiberiique eam depingit imaginem, in qua „psychologiae” ne levissima quidem agnoscatum umbra:

„Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita fama-

que quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus incolumi matre, instabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve, postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur."

Tempora hic distinguuntur, sed merum artificium oratorium illud est: quid variis illis temporibus in Tiberii mente evenit frustra quaerimus: „simulavit, iterum simulavit, denuo simulavit, rursus simulavit, postremo ne simulavit quidem" huc pulchre dispositi loci totum redit argumentum. Nisi forte credimus eum qui „postquam remoto pudore et metu *suo tantum ingenio* utebatur" *nil nisi scelera et dedecora* in animo habebat, adolescentem iuvenemque revera fuisse *egregium vita famaue*.

Sed quid apud Tacitum de Tiberio agentem „psychologiam" quaerimus? Dummodo terrorem horroremque incutiat legentibus satis ei est. De facinoribus eius declamat, atque huic uni rei dat operam ut quo magis ad finem accedat eo omnia fiant horrenda magis. Denique, cum eo perventum est ut de Tiberii sit narrandum morte, intonat ore gravi (c. 50 in.):

„Iam Tiberium corpus, iam vires ¹⁾, nondum dissimulatio deserebat."

Praecessisse, his auditis, quivis suspicetur insigne aliquod dissimulationis Tiberianae exemplum. At in proximo capite

1) Lepidam vocabulorum *corpus iam vires* emendationem *vires, iam vita* proposuit v. d. K. H. E. de Jong in thesibus adiunctis dissertationi; „de Apuleio Isiacorum mysteriorum teste." L. B. MDCCCC.

narratum est de Sexto Papinio, viro nobilissimo qui „informi exitu” sibi conscivit mortem. Qua de re ad Tiberium fortasse ne nuntius quidem pervenit unquam. Inanis ergo ille est verborum strepitus, quo tamquam tubae sonitu admonemur ut attenti simus ad exitum fabulae spectandum.

XIV.

AD SEX PRIORES ANNALIUM LIBROS ANNOTATIONES VARIAE.

Hactenus observationes meas Taciteas ita disponere et ordinare potui ut capitula bene cohaerentia de variis nascerentur argumentis. Maior nunc restat pars, quae nullo inter se cohaereant vinculo. Ne tamen legentes statim longissima variarum annotationum detineam serie, primum me intra eos Annalium continebo libros, qui praestantissimo servantur codice Mediceo I. Qui cum lectu sit facillimus, accuratissime scriptus et a summis philologis diligentissime excussus, non ita multi eius restant loci, qui corrupti aut dubitationi obnoxii videri possint. Proferam tamen meas qualescunque suspiciones, quae hoc loco non plane indignae mihi visae sint, quibus exhaustis sponte mihi via ad novum erit munita argumentum, quod paulo diligentius pertractare una alteraque observationum mearum iubere videatur.

„Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant recentibus odiis compositae sunt.”

Haec ego nunquam concoquere potui, sed quotiescunque Annales legere incipio in his verbis haereo. Atque revera molesti aliquid inesse, quod frustra remove sit conatus, ultro indicat Nipperdeius hac annotatione: „*florentibus ... falsae* ist Apposition zu *res*, und *falsae* („verfälscht“, obwohl es das Adjektiv ist) steht in keiner Verbindung mit *compositae sunt*.”

Quid ais vir praestantissime? *Nullane ratio* intercedit inter vocabula quae sunt *falsae* et *compositae sunt*? Immo vero, nisi hic, quocumque tandem modo, *compositae* eandem nanciscitur vim, quam *falsae* habet (Gr. κατεψευσμένοι), nulla arte sanus ex hoc loco sensus extorqueri poterit. Egregie hanc opinionem confirmat Iosephus, qui (XX, 154 Nab.) prorsus eandem sententiam sua amplificat ubertate: πολλοὶ γὰρ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν, ὧν οἱ μὲν διὰ χάριν, εὖ πεπονθότες ὑπ' αὐτοῦ, τῆς ἀληθείας ἠμέλησαν, οἱ δὲ διὰ μῖσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν οὕτως ἀναιδῶς ἐνεπαρρήνησαν τοῖς ψεύσμασιν ὡς ἀξίους αὐτοὺς εἶναι καταγνώσεως. Vides eundem in Iosephi verbis tenere locum vehementem illam *mendacii* significationem ἀναιδῶς ἐνεπαρρήνησαν τοῖς ψεύσμασιν, quem apud Tacitum occupet lene istud et omni reprehensione vacuum *compositae sunt*: atqui, si in *compositae* nulla inest reprehensio, Taciti sententia prorsus omni vi atque sensu caret. Dixeris inde participium *compositae* reprehensionis satis obtinere, quod ablativus *recentibus odiis* accedat: „cum odio enim res componere” esse „in componendo veritatem nihili facere.” At sic *recentibus odiis* ablativus fit *modi*, qui dicitur: id autem voluisse Tacitum pertinaciter nego. Si cum scriptore, aequalitatis studioso, nobis res esset, haec haberemus: „viventibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, ob recentia odia compositae sunt” aut: „viventibus ipsis metu falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt.” Tum vero nemo tam traditae esset tenax lectionis, qui non in *compositae* latere vitium agnosceret. Tacitus autem aequalitatem vitat; scribit ergo: *ob metum — odiis*, sed sententia prorsus eadem est ac si *metu — odiis* vel *ob metum — ob odia* scripsisset. Ergo nunc apud Tacitum latere vitium, et pro *compositae* requiri *corruptae* vel eiusmodi aliquid erit confitendum.

A. I, 6. „Agrippae mortem ab ipso Augusto iussam Tiberius simulavit” Tacitus ait, tum sic pergit:

„Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exilium eius senatusconsulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius unquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat.”

Ultimum vocabulum *erat* corruptum esse mihi constat; sanum crederem, si hic referrentur argumenta, quibus ducti *senatores* Tiberii de patris iussis mendacio fidem non habuerint. At nunc *ipse secum* disputat Tacitus et primum quidem *concedit* aliquid, quo ad patrem insimulandum uti potuerit Tiberius (*concedendi* enim vim illud „sine dubio” habet), deinde ipse idem illud infirmit hac observatione: „ceterum in nullius unquam necem duravit.” Postremo quo ipse deliberatione illa ducatur sic exponit: „propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse.” Satis, ut opinor, nunc apparet *erat* aut omittendum aut pro eo *est* legendum esse. Nam quem locum hic affert Furneaux c. 53:

„litterae, quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur”

eius tam diversa est indoles, ut in eo non spernendum meae coniecturae inesse firmamentum persuasum mihi sit. Altero, ad quem idem v. d. provocat, IV, 74:

„satis constabat auctam ei (Seiano) arrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti”

pro *constabat* legendum esse *constat* mox demonstrare conabor, idque argumento, ut mihi quidem videtur, certissimo.

A. I, 7. Ut appareat astute callide fraudulentem egisse mendaciisque usum Tiberium, cum omnia sic ageret loquereturque tamquam si de se imperatore neque cogitaret ipse neque omnino cogitari posset, haec profert Tacitus:

„Ceterum defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus

ut imperator dederat." *Defuncto Augusto*: ergone cetera omnia, quae hic narrantur, quibusque una haec res *opponitur*, vivo etiam tum validoque Augusto facta sunt? Immo vero ad idem tempus cuncta pertinent, cum aut iam exspiravisset Augustus aut in articulo mortis esset. De iis, quae proxime praecedunt, vel manifestissimum illud est: „de honoribus parentis consulturum, neque abscedere *a corpore*, idque unum ex publicis muneribus usurpare." Post illam *corporis* commemorationem *continuo* sic pergere; „sed *defuncto* Augusto e. q. s." quam sit ineptum vix iam dicere opus. Sed in integrum restituitur locus, si ante *defuncto* vocula *vix*, aliave in eandem sententiam inseritur.

A. I. 22. Discordes Pannoniae milites iam et alia turbulenta fecerunt multa et carcere effracto desertores rerumque capitalium damnatos liberaverunt. Inde eorum unus, ante Blaesi legati tribunal allevatus umeris, sic declamare incipit:

„Vos quidem his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis; sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat."

Potestne hic verbi *iugulavit* omitti subiectum? Non opinor, sed ut omnia sint perspicua, utque id quod sequitur: „responde, Blaese, ubi cadaver abieceris," et quo referatur habeat et suam sibi obtineat acerbitatem, legendum censeo *iugulavit iste*. Facile excidere pronomen illud potuit. Nam ad quem locum vulgo hic provocatur, eum ego *integrum* hic afferam: plerumque enim id omittitur unde appareat praesidii in eo nihil esse (A. II, 70):

„*Simul missi a Pisone incusabantur*, ut valitudinis adversa rimantes. Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. Si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub

oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus liberis eventurum? Lenta videri veneficia, festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat.”

Neque hoc negligendum eum, qui popellum alloquatur, digito monstrare homines quos accusat, longe aliam esse eius orationem, qui solus secum de adversariis suis cogitat.

I. 32. De Germanicarum legionum seditione et alia et haec narrantur:

„Repente lymphati dstrictis gladiis in centuriones invadunt. . . . Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent; tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiciunt.”

Ad *sexageni singulos* haec annotat Nipperdeius:

„Die Soldaten betrachten, was den einzelnen von ihnen geschah, wie dem Körper an einem Teile, so als allen insgesamt gethan. Wie also 60 centurionen die Legion schlugen, so wird jetzt jeder Centurio von 60 Soldaten geschlagen, um jeden dasselbe fühlen zu lassen, was bisher die Legion gefühlt hat.”

Et probat ista Furneaux. At ego vix credo tantam in militibus illis fuisse doctrinam, aut tantam in centurionibus sagacitatem ut sapientissimum illud militum consilium non admoniti statim perspicerent. An praeco aliquis adstabat qui clara voce latine ea declamaret, quae in Nipperdeii leguntur annotatione? Non opinor. Iure ergo miseret centurionum, qui *convellantur, lanientur, partim exanimos proiciantur* et ne hoc quidem, haud leve profecto, mortis habeant solatium quod „symbolice” se vapulare sentiant. Sed frustra, ut opinor, desudavit Nipperdeius: nulla enim doctrinae vis tanta est ut id, quod ille voluit, e verbis *ut numerum centurionum adaequarent* ullo modo possit extorqueri. Reddamus, censeo,

ista sciolo, qui hic nos ludibrio habet; tum enim quae restabunt, aptissima erunt et ipsi naturae rei, quae traditur, respondebunt: cuiusque centuriae milites cuncti in suum sibi involant centurionem, quod satis accurate, simulque facunde et graviter, verbis *sexageni singulos* significatur. Nam quae porro Nipperdeius observat:

„Wie viel Streiche jeder Soldat gegeben hat, ist dabei gleichgiltig, und es brauchen deshalb nicht alle Centurionen durch die Schläge getötet zu werden”

risum movent. Quis enim istis sarciri credat immanem illum Taciti errorem, de quo pag. 120 egimus? An sic verborum *laniandi* et *convellendi* vim imminui credamus?

Paulo post haec apud Tacitum legimus:

„Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum adulescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit.”

Adverbia *mox* et *tum* inter se opposita efficiunt ut non dubitem quin pro *adeptus* legendum sit *adepturus*.

A. I, 34. „Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti seque proximos et Belgarum civitates in verba eius adegit.”

Sic est in codice, in margine annotatur: *Sequanos*. Nipperdeius edidit: „Sequanos proximas et e. q. s.” quae lectio nihil habet quo se commendet. Hoc requiritur: „Germanicus, ut quantocius Tiberium imperatorem a se agnosci ostenderet, et ipse statim in nomen eius dedit iusiurandum, et quoscunque in vicinia habebat milites in idem sacramentum adegit.” Sed ipsa verba non praesto. Deinde sic narrare pergit Tacitus:

„Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere; et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret.”

Corrupta haec esse certo scio: salva enim Latinitate verba *prensa manu inseruerunt digitos* non possunt quidquam aliud

significare quam hocce absurdissimum: „milites Germanici manum prehenderunt atque *huic* inseruerunt *suos* digitos.” Quid tamen scripserit Tacitus non video.

I, 61. Germanicus, cum prope ab eo loco abesset, ubi Vari legiones fuerant profligatae et reliquiae earum insepultae iacere dicebantur, militibus ducique solvere iusta cupiebat:

„Praemisso Caecina, ut oeculta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres umido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. Prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant.”

A tribus integris legionibus ea castra structa esse milites, cum accesserant, statim *intelligebant* (paulo post sequitur illud verbum, de quo cf. p. 17), tantus erat eorum ambitus et tantae omnes eorum partes. Sed absurdum est ad eiusmodi res, de quibus soli oculi idonei sunt testes, intelligendas promere perticas et metatoribus exhibere negotia. Accedit quod *lato ambitu et dimensis principiis* admodum incongrue dictum est. Locum haud dubie corruptum lenissima emendatione in integrum restituere potes. Legendum enim est *immensis principiis*. De adiectivi *immensus* usu Taciteo cf. quae scripta sunt pag. 155.

I, 74. In Granium Marcellum unum eiusmodi crimen in senatu profertur ut irae suae imperare non possit Tiberius. Sed lepida Cn. Pisonis interrogatione confutatur:

„quantoque incautius effererat, paenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis.”

De *structura* non ambigo, quamquam nullus e Tacito affertur locus ubi *eo modo quo hic* positivus aliquis comparativo opponitur. Sed ipsum illud *paenitentia patiens* sensu cassum esse mihi pro certo constat. Neque ita scripsisse Tacitum ipse codex perspicue demonstrat. In Medicei enim imagine phototypica, quam egregie conficiendam curavit Sythoffius,

civis noster, vox *paenitentia* ultima quidem est lineae, sed non ad finem lineae percurrit: sequitur enim lacuna, in qua evanidae quaedam etiam nunc conspiciuntur literae. Equidem ibi mihi *propior* vel *pronior* agnoscere videor, sed literas *p* et *o* apparere etiam nemo negabit. Atque alterutro vocabulo lacunae spatium fere impletur. Scripsit ergo Tacitus *paenitentiae propior* (vel *pronior*), sed qui codicem scripsit, vel substantivi *paenitentia* sono, vel alia causa aliqua, in errorem inductus novam lineam ab adiectivo *patiens* ordiebatur. Deinde, ratus *paenitentia patiens* sinceræ Latinitatis atque huic loco aptum esse, illud *propior* (vel *pronior*) tamquam supervacuum delere conatus est.

A. II, 69. Ut bene teneatur cur mihi hic pauca quaedam vocabula suspecta sint, accurate totius narrationis decursus est observandus. Iam inimicitiae inter Germanicum et Pisonem ortae sunt gravesque contumelias provocarunt. Piso abire e provincia statuit, sed retinet eum adversa Germanici valetudo. Reficitur Germanicus, exsultat gaudio Antiochensium plebs, quam iratus per lictores Piso disturbat. Tum (i. e. post priorem illum Germanici morbum, quo — si vera sunt quae hic narrantur — iam excitatam aliquam de Pisonis nefariis consiliis suspicionem consentaneum est) Piso:

„Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem, quae rursus Germanico acciderat.”

Hactenus omnia optime procedunt: sequentia videamus:

„Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti.”

Hoc bene ad ceteram narrationem quadrat, vel — nam hoc primum videamus — ipsi rei, de qua agitur, naturae respondet? Non opinor. Si quis aeger pro certo credit venenum sibi datum, aliamve ob causam persuasum sibi habet de se actum esse, irriti sunt medicorum conatus, aut, si iam

recreatur aeger, multo lentius illud fit difficiliusque quam si optima quaeque de eorum arte sperat. Sed *vis* morbi tristi illa opinione non augetur, nam sicubi illa vox legitur, praesertim addito adiectivo *saeva*, de *primo* morbi *impetu* cogitamus. Praeterea prius edocere legentes saevam vim morbi fuisse, tum addere quid eam auxerit etiam, praestat quam duas hasce res in unam contrahere sententiam. Non ergo sine causa suspicio mihi nata est scripsisse Tacitum: „saeva vis morbi augebat persuasionem veneni a Pisone accepti.” Hoc multo melius cum praecedentibus concinit: iam antea venenum sibi a Pisone datum et ipse crediderat Germanicus et amicis dixerat; tum vero ipsa morbi ea erat vehementia ut opinio ista, quae paulo antea, recreato iam Germanico, in praesentia elanguerat, nova vi resurgeret. Et vide quam egregie nunc sequentia annectantur, quae, si tradita retinetur lectio, vix quidquam quo referantur habent: „et reperiabantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones e. q. s.” i. e. iamque adeo invaluerat illa persuasio ut certa sceleris conquirentur indicia, moxque revera inventa ea sunt.

III. 67. Silanus repetundarum ex Asia accusatur; quin verum illud fuerit crimen Tacitus non dubitat: addit *saevitiam* quoque eius in eo iudicio patuisse. Et tamen dat operam ut legentes rei misereat eorumque in Tiberium ira moveatur, et alia commemorans et haec:

„non temperante Tiberio, quin premeret voce vultu, eo, quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset.”

Quanta fuerit Taciti in Tiberium iniquitas vel unus hic locus satis superque declarat. Nam fuerit Tiberius hic paulo severior quam opus erat, at res ei erat cum provinciae carnifice,

quod genus hominum semper optimus quisque princeps gravissimis affecit poenis. Et quod eum, quocunque tandem modo, ad confessionem compellebat, nihil ille confitebatur, quod verum non esset. Sed hoc nunc mitto. In ipsa Taciti verba vitium irrepsisse opinor. Est enim locus eiusmodi ut enumerentur notenturque quaecunque fecerit ipse Tiberius, non quae alii. Ergo pro *dabatur* legendum censeo *dabat*: tam erant crebrae Tiberii rogationes, ut respondendi spatium reo non esset. Etiam propter sequens *quaesivisset* necessaria videtur nostra emendatio. Gravissimum vero hoc quod, si *dabatur* retinetur, frustra quis quo modo illam Silano ademert facultatem quaerimus. Formarum quales sunt *dabat* et *dabatur* perpetua est in codicibus confusio. Et ne dubites quin necessaria emendatio sit, aspice quae continuo sequuntur: ac saepe etiam confitendum erat ne frustra *quaesivisset*": „si iam aliqua quaestio ita a Tiberio enuntiabatur ut eludendi facultas quaedam esset, uti tamen illa reus non poterat, quin — id quod maxime vitandum — ridiculum redderet interrogantem.

A. IV, 6. Primos Tiberii annos et aliis nominibus laudat Tacitus et hoc quod:

„Mandabat honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse.”

Ultima non intelligo; intelligerem vel: *ut constet ... fuisse* vel *ut constaret ... esse*. Quid enim rei est? Coniunctio *ut* hic non habet vim Graecae *ἵνα*, sed idem valet quod *ὄστε*. Non licet Taciti verba sic interpretari ut hic evadat sensus: „hoc Tiberius spectabat ut aequales scirent nullos potiores fuisse, quibus honores mandaret”; nam si quis ita verteret, uno vocabulo *satis* eum facile erroris convinceremus. Hoc enim cum addiderit Tacitus, diserte declarat se *suam* proferre opinionem, ad quam post aliquam deliberationem pervenerit.

Quapropter pro *constaret* legendum censeo *constet*, ut hoc dicat Tacitus: „hac re considerata pro certo *affirmare ausim* non alios potiores fuisse.”

Simili vitio hic locus (IV, 74) laborat. Commemorata abiecta illa adulatione qua senatus Tiberium Seianumque, cum relicta sua insula aliquanto propius ad urbem accederent, sit persecutus, haec adduntur:

Satis constabat auctam ei arrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti.”

Non, ut opinor, Romanorum qui Tiberii Seianique tempore vixerunt, hic iudicium quoddam refertur; iure enim nostro rogaemus, quomodo illorum hominum communis ista opinio Tacito innotescere potuerit, certe ab eo nunc rem aliquam narratum iri exspectaremus, quae documento esset iam olim eam fere civium fuisse sententiam. Sed, nisi omnia me fallunt, quid ipse censeat Tacitus hic exponit, vel potius quid apud *plerosque historicos*, quorum libros de hac aetate inspexit, invenerit. Ergo *satis constat* legendum.

A. IV, 11. Ut ineptam fabellam de veneno ab ipso Tiberio Druso filio tradito refutet (Seiani nempe fraude non solum pollectum Lygdum libertum ut venenum Druso pararet sed etiam Tiberio persuasum filium ei nefarias struere insidias, Tiberium ergo poculum, quod ut vitaret monitus esset, oblatum accepisse ipsique filio ebibendum dedisse, rumor ferebat) et aliis utitur argumentis Tacitus et hoc:

„Quin potius ministrum veneni excruciares, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur?”

Utique post *compertum* inserendum est *filium*. Sic demum *extraneos* habebit quod recte opponatur, et *unicum* dicere pro *unicum filium* ne Latinum quidem videtur.

A. IV, 12. In funere Drusi populus gaudium suum vix dissimulabat quod illius iuvenis morte spes esset renata e Germanici liberis aliquem fore imperatorem. Hoc ipsum et illis et matri Agrippinae funestum fuit:

„Nam Seianus, ubi videt mortem Drusi inultam interfecto-
toribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum et quia
prima provenerant, volutare secum quonam modo Germanici
liberos perverteret, quorum non dubia successio.”

Sana haec esse nequeunt: *ferox animi* quid sit novi et
ferox linguae et similia, sed e vocibus *ferox scelerum* nullo
modo aptus extundi sensus poterit. Ne si sermonis legibus
vim facimus immanem quidem, dicimusque eodem redire
ferox scelerum et *ferox sceleribus*, quidquam proficimus, quo-
niam verba *ferox sceleribus* hominem designant ipsis sceleribus
audacem factum i. e. hominem qui propter priorum scelerum
successum nihil iam reformidat: quod prorsus idem est atque
illud quod continuo sequitur: *quia prima provenerant*. At
non una sed duae causae hic afferuntur, quibus ad novum
facinus adductus sit Seianus. Eae autem sunt: successus
priorum scelerum et quid putas? Ipsius, ut opinor, in-
genium: huius utique facienda hic mentio, haec sola causa
cum altera illa recte iungi potest. Habebimus hoc, si lenis-
sima emendatione pro *ferox* legerimus *ferax*; scelerum ferax
erat Seianus, comparari poterat cum agro, in quo omne her-
barum nocentium genus sponte proveniat.

A. IV, 35. Cremutius Cordus, accusatus quod in libris
suis Brutum Cassiumque laudasset, vitam abstinentia finivit.
Libros eius cremandos censuerunt: frustra, nam etiam nunc
vulgo leguntur:

„Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti
potentia credunt extinguere posse etiam sequentis aevi memo-
riam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque

aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.”

Intelligi haec nequeunt, nisi aliquo modo efficitur ut externi reges imperatoribus Romanorum crudelibus *opponantur*. Fiet illud si *aut* delebitur: externi reges qui eadem saevitia usi sunt, eadem scilicet saevitia, cuius nunc documentum dedit Tiberius et postea daturi erant et alii imperatores et prae ceteris Domitianus: nam (quemadmodum rectissime observat Furneaux) de hoc praesertim cogitat Tacitus, cum eorum irridet socordiam, qui praesenti potentia sequentis aevi memoriam extingui posse crediderunt. Post imperatorum Romanorum, quorum agmen claudit Domitianus, commemorationem, transeundum est ad tyrannos extraneos, non iterum redeundum ad domesticos reges; quod fit, si *aut* retinetur. Nam probari haudquaquam potest Nipperdeii annotatio: „durch das trennende *aut* ergänzt sich ein *apud nos* als Gegensatz zu *externi* von selbst.” Talia enim si *sponte supplementur*, nulla non cuiusvis sententiae pars impune omitti potest. Quodsi quis non talem, qualem et Furneaux et Nipperdeius statuunt, oppositionem hic cerni contendit, is doceat, qui ergo homines verbis *qui eadem saevitia usi sunt* significantur.

A. IV, 39. Livillam sibi uxorem a Tiberio petit Seianus et aliis argumentis usus et hoc:

„Quoniam audiverit Augustum in conlocanda filia non nihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum.”

Quis unquam vidit inter se respondere coniunctiones *quoniam* et *ita*? Tam incredibile mihi illud videtur ut quin corruptus sit locus non dubitem. Et facillime corrumpi potuit. Scripsit enim me iudice Tacitus non *quoniam* verum *quomodo*, et nullus est error proclivior quam quo in \overline{qm} (*quoniam*)

abit *quomodo* (quomodo). Conferatur A. VI, 6, ubi nunc recte editur: „quid scribam vobis, patres conscripti, aut *quomodo* scribam, aut quid omnino non scribam e. q. s.“, at in codice pro *quomodo* legitur *quando*.

A. IV, 45. In Hispania agrestis quidam:

„praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem affecit.“

In mortem affecit: quae unquam barbaries tam scabram protulit orationem? Quantocius Tacitum hac purgemus macula, pro *affecit* legendo *affixit*. Omnem tibi eximet scrupulum hic locus ex eodem libro (c. 62): „illi, quos principium stragis in mortem *adfixerat*.“ Ceterum harum rerum curiosos monitos volo, mire multis in rebus hanc congruere narrationem cum Sallustii illa B. C. c. 19, de alio quodam Pisone, qui et ipse in Hispania necatus est.

A. IV, 52. Ob periculum Claudiae Pulchrae, sobrinae suae, intentatum vehementius cum Tiberio expostulat Agrippina:

„Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret.“

Frustra hinc ullum sensum elicere coneris, sed nihil facilius quam aptissimum restituere sensum. Pro *non ideo* legendum est *ideo non*: „quid te laedi et iniuria affici quereris?“ Tiberius ait „non potes laedi, nam non regnas.“ Tyrannidis hic primariam pronuntiat legem Tiberius: „praeter ipsum tyrannum unusquisque quidquid sibi eveniat aequi bonique consulere debet; errat si se *laedi*, vel *iniuria affici* dicit: eiusmodi vocabula non conveniunt in homines ad parendum natos.“ In mentem mihi hic pulcherrimi venit loci Euripidei, ubi eadem loquendi adhibetur ratio. Clamanti Polynici:

καὶ σε δευτερόν γ' ἀπαιτῶ σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός

respondet Eteocles:

οὐκ ἀπαιτούμεσθ', ἐγὼ γὰρ τὸν ἐμὸν οἰκήσω δόμον

i. e. „istud verbum ἀπαιτεῖσθαι in me non convenit, a me nemo quidquam *repscere* i. e. *suo iure pscere* potest, nam mea haec domus est.” Et voluisse id Tiberium, quod ego dicebam, testis Suetonius, qui sic principis verba refert: „si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere existimas?” ubi rectissime interrogandi signum posuit Rothius: istud enim nisi additur, sensu cassus locus est. Nunc Tiberius rogat non, quod quosdam opinari video: „iniuriamne vocas quod non rerum hic domina es” (nam, etiamsi verba eam admitterent interpretationem, quod nego, ad Agrippinam confutandam minime apta illa esset) sed: „qui potes tu, quae non domina es, sed civis alieno subiecta imperio, iniuriam te accipere ullam putare?” Graecus versiculus, quo usus est Tiberius, periit, sed fuit huiusmodi:

εἰ μὴ τυραννεῖς, ἀδικίαν λέγεις τίνα;

A. IV, 58. Proficiscente in Campaniam Tiberio, mathematici nunquam eum rediturum vaticinabantur. Inde mox moriturum eum quidam artis imperiti credebant et contendebant etiam, quae res ipsis fuit exitio. Hic facultatem nanciscitur de divinatione disputandi Tacitus; quae autem dicit huc fere redeunt ut omnino arti illi se fidem habere declaret; portendere enim quaedam deos certis hominibus, caelestium aliorumque signorum peritis; sed de suo affingere multa vulgus imperitorum et sic totam artem suspectam reddere plerisque. Iam ipsa Taciti de praesenti negotio verba consideremus:

„Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. Nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam compleverit.”

In urbem non regressurum Tiberium dixerant qui? Mathematici, ut opinor, et veraces eos esse apparuit: eventum enim istud vaticinium habuit (haud forte dictum). Sed praeterea nihil declaraverant: *ceterorum* ergo *nescii* recte dici non possunt: vaticinii sui accuratam interpretationem non dederant, ergo nequaquam constabat utrum ipsi veram eius vim intelligerent necne, neque referebat. At alii de suo interpretationem erant commenti, veri quidem similem (quis enim providebat per tot annos Tiberium extra urbem moraturum?) sed tamen falsam: sic patuit *breve confinium artis et falsi*. Ergo res huc redit: quod effati erant mathematici verum fuit et eventum habuit, quod alii addiderunt homines ex fraude vel ex inscitia natum erat. Itaque non *ceterorum* sed *ceteri* legendum: in urbem non regressurum haud forte dictum (i. e. vera erant locuti mathematici), ceteri nescii egere (et finxerunt quae scire non possent). Haec, ut opinor, recte inter se opponuntur.

A. IV, 62. De gravi calamitate, quae Fidenae evenit sic narrare Tacitus incipit:

„Coepo amphitheatro Atilius quidam, libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit.”

Celebrandi verbum adhiberi posse et hic adhibitum esse eodem sensu quo verbum *edendi* Furneaux docet, libenterque ei assentior. Sed nonne nunc totum istud „quo spectaculum gladiatorum celebraret” admodum pueriliter additur? Quis enim amphitheatrum aedificat alio consilio, quam ut gladiatorum ibi fiat spectaculum? Quid omnino, ubi de amphitheatro sermo est, illius usum demonstrare attinet? De amphitheatro cum legimus, fortasse et de aliis cogitamus spectaculis, sed de gladiatorum certaminibus praecipue. Ergone istud „quo spectaculum gladiatorum celebraret” e textu eiicimus? Sic

nimis exilis fit narratio; deest enim . . . quid? Nempe causa, cur tam parum solide aedificaverit Atilius. Illa autem quae esse potuit praeter . . . *festinationem*? Ergo post *quo* insere *citius* (vel *celerius*), iustam habebis narrationem et bene decurrentem.

Sequuntur haec:

„Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis aetas ob propinquitatem loci effusius.”

In codice non est *effusius*, sed *effusus*. At Lipsii illud *effusius*, quod nunc plerumque recipitur, quid significare debet? An: *ardentius, maiore studio* simm.? Non nego eo sensu adhiberi illud posse. Sed quo referenda sit illa proximitas loci frustra quaero. De municipio, quod *urbi Romae* sit propinquum, sermonem esse a legentibus vix sentitur. Quapropter non in *effusius* verum in *effusi* equidem traditum istud *effusus* mutaverim. Verba *ob propinquitatem loci effusi* ante oculos nobis ponunt plebem Romanam in vicinum ruentem oppidum.

Maxime miserandi erant, qui laceri sed tamen vivi in ruina illa iacebant:

„qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant.”

Pro *noscebant* legendum esse *poscebant* in Mnemosyne (1894) dixi, vehementerque illam emendationem probavit Vlietius meus, quem morte nobis ereptum lugemus quotquot candidum eius pectus amavimus et ingenii acumen admirati sumus. Postea in Ritteri editione vidi iam Nevio idem venisse in mentem. Haud temere ergo illud *poscebant* etiam nunc defendo, cum praesertim quae contra sunt allata infirmissima videantur. Primo aspectu traditae lectioni auxilium ferre videtur quod apud Plinium Ep. VI, 20 legitur, ubi in similis cladis narratione haec habes:

„alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant vocibus noscitabant,” sed ibi *requirebant* eius verbi implet partes, quod apud Tacitum est reponendum (*poscebant*) et *vocibus noscitare* recte dicitur, at *ululatibus et gemitu noscebant* absurdum est eritque semper. Quodsi quis eo confugiat ut dicat etiam eorum, qui dira clade audita accurrerunt, ululatus et gemitus exstitisse, quam durum ingratumque illud sit observet quod in sententia ita structa, ut haec est, alia est ratio primi ablativi *visu*, alia insequentium *ululatibus et gemitu*.

A. IV c. 67 sic incipit:

„At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur e. q. s.”

Pro *inrumperet* Heraeus legendum esse vidit *interrumperet*, necessariamque eam esse emendationem patet. Nam quae ad vulgatam lectionem defendendam affert Furneaux insigni demonstrant exemplo quam ridicule aliquis specie decipi possit. Sunt enim haec:

H. I, 82 (de praetorianis agitur nimis pro Othone suo sollicitis):

„Militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus, quominus convivium inrumperet.”

De militibus accurrentibus, impetum facientibus, aegre extra Palatii fores coercitis ne potuit quidem aliud poni verbum quam *irrumpendi* illud. Ergone etiam *otium* alicuius recte *irrumpi* dicitur?

H. IV, 50. Festus legionis in Africa legatus, dudum perniciem Pisoni molitus, ubi tandem facultatem facinoris perpetrandi nactus est:

„equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt.”

Docere huiusmodi loci editorem poterant ubi recte

irrumpendi verbum ponatur, ubi nullo modo ferri possit.

A. V, 6. Refertur oratio quaedam, quam post Seiani interitum aliquis ex eius amicis, iam et ipse in supremum adductus discrimen, domi ad amicos habuit. Eius orationis tantummodo ultima pars superest, in qua et alia et haec leguntur:

„Versa est fortuna et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat (sc. Seianum), sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur.”

Quo iure et quo sensu Tiberius hic *sibi ignoscere* dicatur frustra quaero, neque intelligo quo modo nunc Tiberius et ceteri inter se opponantur. De ceteris autem illis quid dicitur? Graviter incusantur quod mortuo Seiano insultent in iudicia adducentes familiares eius cognatosque, cum ipsi quoque aliquando Seiani gratia floruerint. De his ergo ab homine iamiam morituro gravis pronuntiatur sententia. De Tiberio vero, omnis illius perfidiae auctore, quid dicitur, vel quid recte in tali contextu dici potest? Nihil, ut opinor, nisi hoc:

„gravius esse eius scelus quam quod verbis notari possit.”

De Tiberio ergo silet, non quod timeat eum, ad mortem enim est paratus, sed quia intelligit hic omni oratione silentium disertius esse. De ceteris iudicat ipse, Tiberium suis ipsum cogitationibus suaeque conscientiae damnandum relinquit. Hoc habebimus, si pro *ignoscit* legerimus *ignoscat*:

„Tiberius de se ipse viderit, factum suum consideret et quomodo defendi illud excusarique possit quaerat: non inveniet.”

A. VI, 9. Vistilius praetorius levem et fortasse fictam ob causam.

„Convictu principis prohibitus, cum senili manu ferrum temptavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit.”

Obligat *venas*—*venas* resolvit. Sicine unquam ullum scriptorem Latinum, ne dicam Tacitum, nugatum esse credamus?

Puerorum elementa discentium sermo iste est. Et *precandi* verbum, nullo obiecto addito, cum nihil sit in vicinia quod obiecti vice fungi possit, num quidquam significare potest quod hic requiratur? Ut locus simul ét lacer ét inepta laborans abundantia, sanaretur, iam ante undecim annos (Mnem. 1894) hanc proposui lectionem ¹⁾:

„... obligat venas, precatusque per codicillos *veniam*, immiti responso resolvit”

neque nunc me eius poenitet.

A. VI, 15. Tiberius neptibus suis maritos legit L. Cassium et M. Vicinium, quorum hic, utpote nobili genere ortus et Calibus, in municipio florentissimo et elegantiarum pleno, natus, *mitis* erat *ingenio* et comptae facundiae. Cassius nobis sic describitur:

„Cassius, plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate saepius quam industria commendabatur.”

In vocabulo *saepius* haeret Nipperdeius, quod recte pro *plus* poni posse non credit. At hoc quidem facile fero, sed tota sententia vehementer mihi displicet. Quis enim de adolescente, quem modo legerit *severe* educatum, paulo post commemoratum iri exspectet *facilitate* eum commendatum esse? Mirum ergo paterna severitas effectum habuit! Quid quod *opponitur* ei adolescens, cuius plane diversae fuerint origo educatioque, quem ergo plane aliter fuisse moratum sit consentaneum. At hic fuit *mitis ingenio*. Ergo hic inter se *opponuntur*, „mite ingenium” et.... „facilitas”, quae vox prorsus idem significat.

1) Quam fuerit in hoc loco scribendo negligens librarius vel inde apparet quod in textu scripsit *ob legatu*; in margine est *obligavit*.

Credamusne unquam Tacitum in componendo disponendoque tam fuisse vel negligentem vel infelicem? Equidem crediderim potius eum alteri adolescenti de suo adfinxisse mores, dummodo sic nancisceretur quae recte eleganterque inter se opponerentur, quam in hunc incidisse vitiosae orationis scopulum. Ergo tantum abest ut cum Nipperdeio *plus* pro *saepius* reponendum censeam, ut contrarium exspectem. Non tamen *rarius* vel eiusmodi aliquid pro *saepius* legendum coniicio; leniore medicina restitui posse opinor, quod ab omni parte probandum, Tacitoque dignissimum sit. Vocabula enim *facilitate* et *industria* sedem inter se mutare iubeo: „industria saepius quam facilitate commendabatur.” Hoc est quod unice in hunc locum conveniat: alter ille non erat quidem tam eleganter educatus, non tam mitis, lenis, urbanus erat; immo vero simplicitate sua plebeia identidem peccabat offendebatque; sed illud vitium industria, saepe probata, facile compensabat. Nunc recte omnia disposita et inter se opposita sunt. Praeterea nunc denique *saepius* non solum ferri potest, sed quidquid pro eo reposueris, totum locum corrueris.

A. VI, 16. Creditorum avaritiae et crudelitati quomodo obviam ierit Tiberius narraturus, sic Tacitus incipit:

„Sane vetus urbi faenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus.”

Ut aliquis his insit sensus, *cohibebatur*, id quod vetant sermonis leges, ita est accipiendum ut pro *cohibendum erat* sit positum, et ne sic quidem sententia nascitur eleganter diserteque enuntiata. Hanc habebis, si pro *eoque* legeris *aegreque* vel aliud adverbium in eandem sententiam: moribus quoque antiquis arduum erat negotium foenoris incommoda coercere, tam inveteratum illud malum erat.

A. VI, 18. „Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur,

cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar affixerat: pater quoque, inlustris eques Romanus, ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. Datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat."

Habuisset... tribuerat. Hancine feramus modorum varietatem cum de duabus agatur rebus, quae aequae certae sint utraque? Immo *tribueret* lege, sic et sermonis puritati et historiae veritati consultum erit. An credamus Graecos iam tum desiisse in magno habere illum Theophanem honore, qui ante centum fere annos ipsorum prospexisset libertati?

A. VI, 22. Satis longam de divinatione disputationem, quam narrationi de Thrasylo eiusque vaticiniis annectit, sic Tacitus claudit:

„Quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim."

Illud *ne abierim* non potest aliter defendi quam sic ut sit idem quod *ne abiisse censear*. Sed ne sic accipiamus obstat abverbium *nunc*: sive enim iusto longius a proposito discessisse, sive in digrediendo iustum observasse modum Tacitus censebitur, eventum iam ea res habet neque mutari potest, etiamsi quam primum digrediendi finem faciat. Neque in hunc locum quadrat illud: „in tempore" ait „illud de Nerone commemorabitur" i. e. nunc illam rem differo, quam si hic addere vellem iusto longius hoc fieret *ἐπεισόδιον*; id autem nolo: „nolo *nunc* ab incepto longius abire." Requiritur ergo non *abierim* verum *abeam*, sed quoniam hoc traditae lectioni parum simile est, leniore emendatione legendum censeo *aberreyi*.

Epimetrum ad pagg. 136 et 146.

Constat et satis constat cum infinitivo coniunctivove praeteriti.

Ne quis putet me temere statuisse A. IV, 6 pro *constaret* legendum esse *constet* et A. IV, 74 *constat* pro *constabat*, omnes hic locos afferam, ubi verbum illud legatur, vel addito vel non addito adverbio *satis*. Aperte ergo pro mea sententia pugnant hi:

A. I, 13. *Constat* Haterium prope a militibus *interfectum*.

A. XI, 31. *Satis constat* eo pavore offusum Claudium.

H. I, 18. *Constat potuisse* conciliari animos quantulacunque parci senis (Galbae) liberalitate.

H. I, 41. De percussore non *satis constat*.

H. III, 29. Primum *irrupisse* C. Volusenum *inter omnes auctores constat*.

H. IV, 69. *Constat obstitisse* Treviris quod Vindicis motu cum Virginio steterant.

Agr. 13. *Agitasse* G. Caesarem de intranda Britannia *satis constat*.

Agr. 41. *Satis constat* Domitiani quoque aures *verberatas*.

Dial. 16. Quos *satis constat* Philippi et Alexandri temporibus *floruisse*.

Dial. 18. *Satis constat* ne Ciceroni quidem obtrectatores *defuisse*.

Dial. 25. Quos *satis constat* ante c. annos *fuisse*.

Dial. 39. *Satis constat* Scaurum, Milonem, Bestiam, Vatinium concursu totius civitatis et *accusatos et defensos*.

Hisce *praeteriti* infinitivus coniunctivusve pendet a *constabat* vel *constitit*, sed esse omnium eam rationem ut illa structura opus sit e mea ad singulos annotatione apparebit:

A. II, 67. Rhoemetalcen — paternis consiliis *adversatum constabat*. (Cum de poena Rhescuporidis in senatu agebatur, filium eius facinori obstitisse demonstratum est.)

A. II, 73. Corpus, antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, praetuleritne veneficii signa parum constitit. (Ii, qui *tum* immaturam Germanici mortem deflebant, de ea re varie tradebant.)

A. III, 1. Neque satis *constabat*, quid pro tempore *foret*. (Homines, qui in litore Germanici exspectabant reliquias, dubitabant utrum silentio an planctu exciperent Agrippinam.)

A. XII, 17. (Zorsines rex barbarus se Romanis dedit) magna gloria exercitus Romani, quem incruentum et victorem tridui itinere *afuisse* ab amne Tanai *constitit*. (Qui ob illum successum exercitum Romanum laudibus efferebant, *cognoverunt* illum exercitum *eo tempore, quo in seditionem venit Zorsines*, tridui itinere a Tanai *progressum*.)

A. XII, 43. Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius *superfuisse constitit*. (Sedato metu populi, qui iamiam frumenti inopiam fore clamitabat, cum inquireretur qui fuisset eo tempore rerum status, *apparuit* minime vanum illum metum *fuisse*.)

A. XIII, 16. Agrippinae is pavor emicuit, ut ignaram *fuisse* — *constiterit*. (Britannico interfecto, cum qui adfuerant quomodo factum illud esset rogarent, omnibus *persuasum* erat Agrippinam ignaram *fuisse* sceleris.)

A. XIII, 35. *Satis constitit fuisse* in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigiliis inissent. (Corbulo, cum ad exercitum venisset, inquisitione habita *cognovit* a decessore suo omnia *acta* summa negligentia.)

A. XIV, 4. *Satis constitit exstitisse* proditorem. (Inter Neronis conscios nemo *dubitabat* quin ad Agrippinam *delatum esset* consilium in itinere maritimo eius perdendae, et sic *factum esse* ut sella Baias perveheretur).

A. XIV, 33. Ad septuaginta milia civium et sociorum, iis, quae memoravi, locis *cecidisse constitit*. (Cum postea municipia illa, quae barbari diruerant, a Romanis visebantur, corporum numero into *apparuit* tot milia *cecidisse*).

A. XV, 16. Obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent. (Cum de Paeti rebus gestis consilium quoddam militare habebatur, *intellectum est* minime opus ei *fuisse* castra sua dedere hostibus.)

XV, 67. Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit. (Qui praesentes Neronis vultum contemplari poterant *declararunt* eum graviter illis tribuni verbis *esse commotum*).

XVI, 5. *Constitit* plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur *obtritos*. (*Constitit*, nempe inter eos, qui clades illa quomodo facta esset quaerebant, causas eius *fuisse* angustos aditus et nimiam multitudinem).

Denique H. III, 75 „*quod inter omnes constiterit*, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat,” Graece dicendum sit δ πάντες ὁμολογήσειαν ἄν.

Ergo XII loci egregie emendationes meas (A. IV, 6 et IV, 74) confirmant, XIII nihil habent quod lectiones ibi traditas tueatur. Supersunt duo in Agricola... quos aequae ac A. IV, 6 et IV, 74 corruptos censeo; atque eodem modo sanandos. Alter est c. 38. Victi Britannii quomodo noctem egerint vividis describitur coloribus:

„trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras et statim relinquere;

miscere in vicem consilia, dein separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari." Tum sequitur:

„Satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur." Hic, ut opinor, non est sermo de hominibus, qui postea locum cladis inspicientes illud effecerint e corporum habitu; illi enim qui fuissent haud dubie tradidisset Tacitus. Sed refert quid ipse efficiat e rumoribus quos ipse acceperit. Lege ergo *satisque constat*.

Alter c. 43. „Satis constabat lecto testamento Agricolae — laetatum (Domitianum). i. e. „ex iis rebus quae mihi narrantur narrataeque sunt, ego *nunc efficio*." Habebimus hoc si *constat* legerimus.

Sunt ergo 29 toto opere Taciteo loci ubi *constat, constabat, constitit* legatur. Eorum quatuor esse corruptos et eodem modo sanandos clamant XII, aliquo modo testantur XIII.

XV.

Iam in praecedenti capite unum alterumque indicavi locum, qui nullo alio sanari modo posset quam vocabulis aliquot e textu eximendis. Est enim apud Tacitum affatim locorum corruptorum, quibus hac medela afferri salus debeat, praesertim in iis libris, quos codex Mediceus alter servavit, sed neque prior iis caret. Hos nunc, si non omnes, at plerosque proponam, et

quoniam haec ratio plerumque videtur

Futilis esse quibus non est tractata, retroque

Vulgus abhorret ab hac,

vel potius quoniam haud pauci nullam hic agnoscunt rationem, sed meram tantummodo temeritatem levitatemque, ordine procedam ingentemque materiem ita in certa dividam capita, ut legentibus ét quam maxime persuadeam ét, si fieri possit, étiam voluptatis afferam aliquid. Atque primum de *externis*, quae dicuntur, agam indiciis, demonstraboque hic illic iis commaculatum esse additamentis textum Taciteum, quae olim in margine vel inter lineas adscripta fuisse nostris etiam nunc cernamus oculis. Iam iis, qui libelli mei *de Emblematis in Platonis textu obviis* primas adspexerunt paginas, nota sunt ista ex Mediceo altero :

(Hist. II, 98): mare quoque et esi *flabra aquilonis* arum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat et (Hist. III, 20): et vineis, *machinamenti genus ad expugnandos muros in modum turrium factum* is aggreddenda urbs.

(v. libelli citati p. 3). Nunc alia non minus insignia addam exempla.

In *Mediceo* ergo *priore* A. V, 9 hoc habemus: (ad mortem agebatur Seiani filiola adeo nescia)

„ut crebro interrogaret, quod ob delictum et quo traheretur, neque facturam ultra et posse se *puerilimo* verberere monerit.”

Errare editores, qui syllaba *mo* delenda in integrum sibi locum restituere videantur, in *mo* enim latere *modo* (m̄), quod olim vocabulo *verberere* fuerit illustratum, antea demonstravi ¹⁾. Habemus ergo hic *aberrantem* etiam annotationem, quae nondum certam in textu sedem invenerit. Si non ab homine rudi, sed a librario semidocto, liber hic descriptus fuisset, cum litera *t*, quae, e dittographia nata, nunc etiam vocabulo *moneri* adhaeret, etiam syllaba *mo* fuisset omissa, nosque certo emblematis careremus indicio.

A. III, 12. „Id solum” (Tiberii sunt verba, quibus de morte Germanici se cogniturum negat) „Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam in foro, aput senatum quam aput iudices, de morte eius anquiritur.”

Haecine in Tacito tolerari etiam, neque quemquam adhuc observavisse bis idem hic dici, semel a Tacito (*in curia potius quam in foro*), semel a ludimagistro (*aput senatum quam aput iudices*)! At re observata simul manifesto tenemus librarium, pro Taciti verbis puerilem scioli venditantem annotatiunculam. Ne latinum quidem istud *aput senatum quam aput iudices* (omisso adverbio *potius*) esse videtur.

II, 81. „Interim Piso classem haud procul operientem ad pugnare frustra temptavit; regressusque et pro muris modo semet afflicto, modo singulos nomine ciens praemiis vocans seditionem coeptabat, adeoque commoverat ut signifer legionis vocans sextae signum ad eum transtulerit.”

1) Mnem. XXIX p. 280.

Sic in codice est, qui ergo spectaculum nobis exhibet manifestum annotationis e margine in textum transgredi *conantis etiam*. Cum enim in archetypo locus ita esset scriptus (dabo autem linearum primae secundaeque tantummodo extremas partes):

. nomine ciens *praemiis*

. legionis sextae *vocans*

signum ad eum transtulerit,

novus librarius primum post *ciens* totam annotationem, deinde post *sextae* iterum alteram eius partem in textum récepit.

Vides non deesse in codice Mediceo priore eius rei, quam dicebam, praeclara exempla. At longe largior in Mediceo altero messis est.

A. XII, 33. „Sed tum astu locorum fraude prior (Caratacus), vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas.”

Rectissime *fraude* secluserit Halmius, quod, olim supra *astu* scriptum, in eum textus locum irrepsit, ubi ferri nullo modo possit. Qui enim istud *astu locorum fraude* defendunt etiam, ii sanae menti indicere bellum mihi quidem videntur ¹⁾.

Simile quid, nec minus funestum, evenisse videtur A. XIII, 14. Irata Neroni Agrippina Britannicum se ad imperium vocaturam minatur:

„Ituram cum illo in castra; audiretur hinc Germanici filia, inde debilis Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen exostulantes.”

Num quidquam unquam scriptum est simul ét disertius ét magis perspicuum? Non tamen pulcherrimum istud *hinc*....

1) Quod ad peculiarem illam substantivi *astu* significationem (ars eligendi campi suis militibus apti) pertinet, cf. H. V. 17: „quae provideri astu ducis oportuerit, provisiva, campos madentes et ipsis gnaros, hostibus noxios,” qui locus admonere videtur ut hic (A. XII, 33) *locorum* quoque deleamus; nam *fraude locorum* vocis *astu* sic adhibitae non ineptum est interpretamentum. Sed fortasse *fraude* delere sufficit.

inde intellexit ludimagister, ergoque ad *inde* annotavit *rursus*. Et nunc in textu legitur *inde debilis rursus Burrus*. Nam Acidalii ratio, *rursus* delentis, a recentioribus spernitur editoribus. Praeclaras profecto habebimus scriptorum latinorum editiones, si inēptiarum amor iste pertinax aliquantis per grassabitur etiam!

A. XII, 67. „Infusum delectabili ci boleto venenum.”

Unice vera ratio est Orellii sic legentis: *infusum delectabili cibo venenum*. Nam cum Tacitus ipsum *boleti* nomen sprevisset, et exquisita locutione *delectabili cibo* usus esset, illud supra lineam adpinxit sciolus. Nunc annotationem luctantem etiam cernimus, ut in alienam irrepat sedem, non sine veri iustique domini detrimento.

A. XIII, 35. „Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotae legiones, pace longa segnes, munia Romanorum aegerrime tolerabant.”

Quae deinceps legimus: „satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigiliis inissent e. q. s.” cuncta *castra* spectant. Sed lectione, quam proposuit Nipperdeius, *munia castrorum Romanorum* neque restituitur Taciti manus (inepte enim istud *Romanorum* abundat), neque patefit mendi origo. Equidem Tacitum scripsisse censeo *munia castrorum*, adscripsisse autem sciolum, qui putaret hic Syros et Romanos inter se opponi, *Romanorum*, eamque annotationem sic in textum irrepsisse ut genuinum vocabulum *castrorum* interiret.

Audis etiam magistelli vocem stridulam in hisce (XIV, 51): (praecedat narratio de Burri morte) „civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia adulteria.”

Hic tamen editores obtemperant Orellio *adulteria* delenti, quo vocabulo recte quidem quid sibi illud *flagitia* velit illu-

stratur, sed sermo Taciteus, atque adeo Latinus, absurdum in modum corrumpitur.

Atque admonet me hic locus duorum in Historiis, ubi eadem vox pueriliter in textum inserta Taciteae orationis splendorem pessumdat. Alter est I, 22. Agitur de Othonis libertis patronum suum ad fortiter agendum incitantibus:

„aulam Neronis et luxus, adulteria matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobarabant.”

Quis apud Tacitum istam fert sermonis ubertatem, qua sine ullo sententiae emolumento eadem res binis vocabulis (*adulteria, matrimonia*) significetur? Hoc aulici isti volunt: „si ad imperium veneris, nobilissimarum mulierum, quamcunque voles, uxorem habere poteris.”

Minus etiam ferendum quod altero loco legitur IV, 55:

Sabinum super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebat, proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse.”

Admodum delectatum esse Tacitum flosculo isto *corpore placuisse* opinor, sed spoliavit eum egregio ornamento, qui primus insulsam annotationem *atque adulterio* in textum recepit.

A. XVI, 2. De thesauro a se invento homo quidam vanus Neronem edocet:

„Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis, per quos nosceret, an vera afferrentur, auget ultro rumorem.”

Hic magistellus, ut structuram *missis per quos* discipulis explicaret, absurdum et a se inventum substantivum *visoribus* in margine adscripsit, quod postea in textum receptum sermonis barbarie etiam prodit sciolum. Quodsi nunc apud Tacitum legeretur „missis *exploratoribus* qui noscerent” vel eiusmodi aliquid, non deessent viri docti, qui anxie obsta-

rent, quominus istud *exploratoribus* e textu eximeremus.

H. I, 27. „(Otho) sub aedem Saturni pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatam imperatorem ac paucitate salutantium trepidum, sellae ¹⁾ festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt: totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore *et gladiis*, pars silentio.”

Frustra desudarunt critici, qui pro *et gladiis* coniecerint *et gaudiis* vel *et gaudio*. Est enim *gladiis* annotatio adscripta vocabulo *mucronibus*, quae in alienam aberravit sedem, ibique coniunctione *et* praecedentibus verbis est agglutinata.

H. III, 19. Per tenebras noctis urbem Cremonam diripiendam esse milites quidam ex Flaviano clamant exercitu, et aliis usi argumentis et hoc:

„si lucem operiantur, iam pacem, iam preces, et pro labore ac vulneribus clementiam et gloriam, inania, laturos, sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore.”

Quam egregie dicta haec sint, quam praeclare militum referant mentem, praedae inhiantium ducibusque invidentium, si quis semel senserit, non feret ultra adiacentem his insulssissimam magistelli, qui, ut ita dicam, ipso vocis se prodit sono, annotatiunculam: „expugnatae urbis praedam ad milites, deditae ad duces pertinere” ²⁾).

H. IV. 22. Civilis castra Romanorum oppugnat:

„Spem obpugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum [Romanorum] tuebantur.”

Ineptum istud *Romanorum* non est in codicibus „deterio-

1) Ante *sellae* in codice legitur coniunctio *et*, quam, ut totius loci constaret ratio, ego exemi.

2) Rem verissimam apertissimamque primus mortalium perspexit v. d. H. M. Leopold, quem ante paucos annos discipulum habui carissimum.

ribus." Descripti ergo illi sunt non ex ipso Mediceo, sed ex aliquo apographo, quod vocabulum illud aut omnino non habebat, aut in margine scriptum. Cff. quae c. VIII scripsimus et Nipperdeii observatio p. IV praefationis, quae est in parte III editionis, quam a. MDCCCLXXIV in lucem emisit.

XVI.

Manifesto ergo apparet eo utrumque codicem Mediceum laborare morbo, de quo nunc agimus; oculis cernimus et tantum non manibus tenemus librariorum errores, annotationes, saepe insulsissimas, in textum transferentium. Sed vix minorem habent persuadendi vim ii loci, quos sic corruptos esse non videmus quidem, sed audimus et ipsa sana admonemur mente. Confidenter iam, qui ex isto genere sunt praecipui, hocce proponemus capite.

Ann. I, 61. Campum, ubi Varianae interierunt legiones, Germanicus contempletur:

„Et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas: primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera mortem invenerit.”

Nunc ipsi huic adesse demonstrationi nobis videtur, audimus singultus hominum, rem tristissimam, quam suis oculis aspexerint, paucis verbis exponentium, neque patimur ludimagistrum suam his stridula voce intermiscere doctrinam. At in codice post *infelici dextera* legimus *et suo ictu!*

Ann. I, 78. Edixit Tiberius et alia et hoc:

„Imparem oneri rempublicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. Ita proximae seditionis male consulta abolita in posterum.”

Quæ illa proximae seditionis male consulta fuerint, nemo tam est infirma memoria, quin noverit etiam. Capite enim

19 in narratione de tumultuantibus Pannonicis legionibus haec legimus :

„Acclamavere (milites), ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis.”

Et capite 36, ubi agitur de discordibus Germanici militibus :

„Placitum, ut epistolae nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis ; exauctorari, qui sena dena fecissent.”

Cum contemptu ergo abiicimus quae nostro capite verbis *male consulta* annectuntur : „quibus sedecim stipendiorum finem expresserant.” Quis enim non sentit absurdissimo sermone *sedecim stipendiorum finem* expressisse milites dici, qui flagitaverant et (id quod nunc demum docemur) impetraverant etiam, ut post sedecim stipendia honesta daretur militiae missio? Quis non intelligit *male consulta* ducum esse, non militum?

A. II, 12. Instante proelio Germanicus explorandos militum animos ratus, neque tribunis centurionibusque, neque libertis amicisque fidem se habere posse intelligit, utpote qui laetiora quam veriora referre soleant, in contione vero etiam ignavissimos pugnandi amorem simulare. Quid ergo facit? Vesperi assistit tabernaculis seque a militibus certatim laudari proeliumque tali duce expeti audit. Illam autem explorandi rationem elegerat, quia persuasum sibi habebat :

„penitus noscendas mentes cum secreti et incustoditi spem aut metum proferrent.”

Quando autem id fiebat? Nempe inter coenam et pocula. Res ipsa clamat et sequens narratio clare demonstrat. Minime ergo opus disertis id hic significare verbis; iis vero verbis significare, quae nunc post *incustoditi* in textu leguntur: „inter militares cibos” absurdissimum est. Et locus et sermo arguunt sciolum. Suspicio autem *militares* olim ad *mentes*, *inter cibos* ad ultima sententiae vocabula fuisse adscriptum.

A. II, 28 (De causa Drusi Libonis agitur):

„Celebre inter accusatores Tironis ingenium erat avidumque famae malae.”

Probus, haud dubie, homo fuit et calumniatorum inimicus, qui istud *malae* in margine adscripserit; sed boni elegantisque sermonis naturam ignorabat, qui putarit unquam quemquam recte dici posse avidum *malae* famae.

A. II, 30 (Ex eadem narratione):

„Negante reo, adgnoscentes servos per tormenta interrogari placuit: et quia vetere senatusconsulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet.”

Satisne perspicuum Tiberii consilium hisce fit verbis, an putemus ipsum Tacitum magistelli sermone sic illud illustrasse: „scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur”? Verba iam a Mendoza proscripta etiam ab editoribus vindicari Tacito est quod indignemur.

II, 54. Clarii Apollinis oraculum adit Germanicus:

„et ferebatur” (sc. sacerdos dei) „Germanico per ambages maturum exitum cecinisse.”

Ad *per ambages* annotavit aliquis *ut mos oraculis*, quae verba nunc Taciti commaculant sermonem.

III, 2. Appropinquante Agrippina cum Germanici cineribus Italiae, Drusus Tiberii filius:

„Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici.”

Quis rei ignarus non putet *Drusi* hic fratrem dici Claudium? Quis non sentit hic aut ipsi veritati aut sermonis legibus aper-tissime vim fieri? An credamus salva latinitate pro: „cum Germanici liberis et fratre Claudio” dici posse „cum Claudio fratre liberisque Germanici”? Immo, Tacitus scripsit: „cum fratre liberisque Germanici”, sed in margine aliquis nomen fratris addidit.

Paulo post (III, 3) qui factum sit ut de singulari quodam ob mortem Germanici Antoniae matris luctu nihil traderetur ab auctoribus varie disputat Tacitus; postremo hanc profert coniecturam:

„Facilius crediderim Tiberio et Augustae cohibitam, ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur”.

Quis ex his non plane intelligit Tiberium quoque et Liviam illis diebus domi mansisse? Quis se inepta illud doceri patiaturo annotatiuncula: *qui domo non excedebant*, quae nunc inter Taciti verba legitur?

A. IV, 49. Sabinus Thraecum castellum quoddam ab omni parte inclusum tenet, ita ut omni malorum genere miseri homines vexentur:

„sed nihil aeque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium uno reliquo fonte uterentur; simulque armenta, ut mos barbaris, iuxta clausa, egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat; pollui cuncta sanie odore contactu.”

Non subito quin verum viderit Ritterus, qui verba *ut mos barbaris* proscrispsit: prorsus aliena hinc ista sunt, non enim barbarorum mores hic describuntur, sed quid *tunc*, ad incitas redacti, fecerint cum summo suo incommodo, narratur. Conferatur cognatum emblema *ut mos oraculis* quod e capite 54 libri II exemimus.

A. V, 10. Falsum Drusum persequens Poppaeus Sabinus:

„Toronaenum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam et Piraeum, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit.”

Eudemne, qui sic sine ullo loci indicio Thermaeum Toronaenumque sinum, qui tamen fortasse legentium vulgo parum noti esse potuerunt, reliquerit, ad *Euboeam* „Aegaei maris insulam”, ad *Piraeum* „Atticae orae” adscripsisse putemus?

Quae partim inepte sunt enuntiata, partim nihil legentibus prosunt. Non minus absurdum stupidumque emblemata sustulit VI, 12 Nipperdeius e verbis: „post exustum [sociali bello] Capitolium.”

A. VI, 24. De tristissima dirissimaque Drusi, Germanici filii, morte et alia et haec narratur:

„Etiam sua verba centurio saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficientis adiecerat, quis primo [alienationem mentis simulans] quasi per dementia funesta Tiberio, mox, ubi ex spes vitae fuit, meditatae compositasque diras imprecabatur.”

Hic tamen editores morem gerunt Bahrdtio absurdum verborum *quasi per dementia* interpretamentum includi iubenti. Sed in ipso narrationis initio additamentum deprehendimus non minus importunum:

„Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, [mandendo e cubili tomento] nonum ad diem detinisset.”

Unde istud habeat sciolus nescio, perturbatum atque corruptum ab eo sermonem Taciteum certo scio.

Sed ex hoc quoque genere multo plura nobis affert exempla Mediceus alter:

XI, 13. „At Claudius matrimonii sui ignarus et munia censoria usurpans e. q. s.”

Prorsus sensu vacuum esse *matrimonii sui ignarus* mihi constat; nam quod certatim docti commentatores, alius alium describens, huc afferunt H. I, 49: „amicorum libertorumque usque ad culpam ignarus”, in eo loco praesidii nihil est. Omittunt enim illi quod in eo vel primum est, nam sic ibi Tacitus scripsit: „amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus”, ita ut fere nihil hi loci inter se habeant commune: genitivi *amicorum libertorumque a patiens* magis quam ab *ignarus* dependent, cum *ignarus* vero arte iungendum

si mali forent. Et quae ratio intercedat inter verba *matrimonii sui ignarus* et *munia censoria usurpans* prorsus me latet. Nihili enim est quod viri docti commenti sunt de *sortis quadam ironia*, quod censoris munere fungatur Claudius, ipse ignarus qualem habeat uxorem; id quod tum demum in hunc locum conveniret, si de Claudio ibi narraretur censoria gravitate matrimonii sanctimoniam defendente. At *theatralem* ab eo correptam *licentiam* legimus. Iam cum *matrimonii* alicuius *ignarum* fuisse Claudium legimus, non possumus non cogitare de illis Sili Messalinaeque nuptiis, quas non per risum iocumque fictas sed veras sincerasque fuisse Tacitus ipse credidit et legentibus persuadere est conatus. Res nobis hic est cum annotatione, eaque corrupta: in margine enim ad vocem *ignarus* explicandam olim appictum fuit *matrimonii Silii*, idque ita in textum translatum est ut e *Silii* nasceretur *sui*. Praeclarum huic coniecturae subsidium praebet ultimum capitis XII verborum lectio, quam codex exhibet. Ibi nunc recte e Puteolani emendatione editur: „postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud *adulterum* visebantur”, in codice esse: „*alterum* supra scripto *filium*” Nipperdeius refert, sed aut Nipperdei error hic deprehenditur ¹⁾, aut librarius in describenda annotatione leve commisit vitium: ad *alterum* vel ad *adulterum* (nam hoc quidem vitium quando natum sit in tenebris latet) adscripsit aliquis *Silium*, atque idem paulo post adiectivum *ignarus* verbis *matrimonii Silii* illustrare conatus est. Adiectivi *ignarus* „absolute” positi egregium habemus exemplum A. I, 6: „primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes; quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit.”

1) Inspecta codicis imagine phototypica apparuit mihi revera supra *alterum* scriptum esse aliquid unde multo potius *Silium* efficias quam *filium*.

In ipsa de illis Sili Messalinaeque „nuptiis” narratione insul-
sissimam scioli deprehendimus annotationem. Tacitus scripsit:
„urgeri praela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae ad-
sultabant; ipsa crine fluxo, thyrsus quatiens, iuxtaque Silius
hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum
procaci choro” elegantissima brevitate id reticens quod quivis
non plane indoctus sponte coniciat: quorum deorum homi-
numque Silius, Messalina, chorus sint functi partibus. At
sciolus, cetera omnia silentio praetermittens, ad unum illud
feminae pellibus accinctae annotavit: „ut sacrificantes vel in-
sanientes Bacchae,” quae verba inepta, stupida, absurda, nunc
nobis pro Taciteis venditantur!

XI, 34. Appropinquantem ad urbem Claudium Narcissus
aliique in Messalinam instigant, ipsa precibus, amicis alle-
gandis, liberis offerendis maritum mitigare studet; omnes
Narcissus amolitur:

„Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia fla-
gitaret ne indefensa uxor exitio daretur. Igitur auditorum
principem et fore diluendi criminis facultatem respondit:
iret interim et sacra capesseret.”

Virginem Vestalem fuisse Vibidiam c. 32 cognovimus, et
haecce legentes statim recordamur. Quid ergo illo facias qui
primus huc e margine transtulerit et post *interim* posuerit
vocem *virgo*? Nil equidem unquam vidi ineptius.

A. XII, 22. Verbis non opus est ut puerili additamento
liberetur. Tacitus; scripsit enim:

„Atrox odii Agrippina et Lolliae infensa... molitur crimen
et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos, interrogatumque Apol-
linis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris”

sed in codice post *Chaldaeos* legitur etiam *magos*.

Non minus ineptum est quod XIII, 10 exemit Nipperdeius:

„Quamquam censuissent patres, ut principium anni inciperet
mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religio-

nem kalendarum Ianuariatum [inchoando anno] retinuit.”

Illud tamen denuo in textum reduxit Furneaux; equidem potius *kalendarum Ianuariatum* quoque deleverim.

Non, ut opinor, tam imperitos antiquitatum lectores sibi finxit Tacitus ut XIII, 43:

„Repertique accusatores direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret, ac peculatum detulerunt”

ad *peculatum* adscriberet „publicae pecuniae”, quae verba nunc in textu leguntur.

Ex eodem genere annotationem invenimus XIII, 51. Agitur de Neronis consiliis, quibus cives peregrinosque oneribus levavit:

„Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio; et ne censibus negotiatorum naves ascriberentur [tributumque pro illis penderent] constitutum.”

Verba inclusa non solum plane sunt supervacua, admodum enim perspicua sunt quae scripsit Tacitus, neque exquisitam locutionem vocabulis pervulgatis corrumpunt, sed totam sententiae structuram pessumdant.

A. XIV, 8. Salva iam ad villam suam Agrippina pervenit, sed simul adsunt Anicetus militesque, qui ubi vi irruerunt, Agrippina

„respicit Anicetum Trierarcho Herculeio et Obarito, centurione classario, comitatum: ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere.”

Praeclare hic omnia sunt enuntiata estque sermo et Tacito dignissimus et muliere primaria: non vult diram rem suo appellare nomine, ergo verecunde eam verbis „nihil se de filio credere” significat. At inutilia Tacito et consilium et ars sua fuerunt; translata enim in textum annotatione magistelli, rusticana nunc simplicitate dicta sunt omnia. Sed nos istud *non imperatum parricidium*, quod nunc elegantiam

verborum *nihil se de filio credere*, quibus adhaeret, pessumdat, auctori suo reddimus.

A. XIV, 27. „Veterani Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant; neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas domos relinquabant.”

Risum movet quod in codice post *orbas* legitur: *sine posteris*, tamquam si unquam quisquam posteros suos conspiciat domive relinquat!

A. XIV, 35. Boudicca, Icenorum regina, et alia apud Britanniae civitates de Romanorum crudelitate conqueritur et haec:

„Eo provectas Romanorum cupiditates, ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquunt.”

Facessat hinc importunum istud *non corpora*, quod nulla ratione defendi, nullis argutiis excusari potest.

A. XV, 7. Paeto, iamiam bellum cum Parthis inchoaturo, tristia et alia fiunt omina et hoc:

„Pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia hostis missilibus telis decertat.”

Indignus profecto qui Tacitum legat is est, qui hic requirit etiam quis sit hostis ille; tamen in codice, cum ipsius Latinitatis detrimento legitur: quia *Parthus* hostis e. q. s.”

A. XV, 23. „Memmio Regulo et Verginio Rufo consulibus natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit... Locus puerperio [colonia] Antium fuit, ubi ipse generatus erat.”

Suam sibi habeat doctrinam magistellus, nam nemo legentium, qui quidem non sit adversis Musis natus, hic scire cupit quo iure fuerit oppidum, in quo nata sit Neronis filia, propter quam ille tantopere exsultaverit.

A. XV, 25. Bello cum Parthis gerendo tandem aliquando

praeficitur Corbulo, postquam Paetus diu multa molitus nihil profecerat sed in summum discrimen rem adduxerat. Id hisce verbis Tacitus enuntiat:

„Et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursus peccaretur.”

Non poterat senatus consilium elegantius vel magis perspicue significari. At in textu adhaeret pannus absurdissimus *quia Paeti piguerat*, in quibus verbis nihil inest, quod non multo venustius verbis *ne cuius alterius inscitia rursus peccaretur* declaretur; praeterea sciolum ista redolent, qui in Latine scribendo ne ineptissima quidem evitare potuerit vitia.

A. XV, 40. Nunquam adducar ut credam ipsum Tacitum scripsisse: „quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur,” nam si scripsisset, nemo non aequalium in risus erupisset, quod de re tam nota edoceretur etiam. Et est scholiorum sermo iste: sic, ut e multis exemplis unum afferam, in Horatii codicibus ad C. S. vs. 7 plerumque annotatum invenimus: „Roma in septem collibus constituta est.” Sed scripsit sic fere Tacitus: „Regionum enim quattuor integrae manebant; tres solo tenus deiectae, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant,” cum quibus verbis annotatio: „quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur” ita est conglutinata, ut nunc legatur: „quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor e. q. s.”

A. XV, 47. „Sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum.” Imperante *Nerone* semel tantummodo antehac cometes visus fuit A. XIV, 22. Sed *in univsum* hic locutus est Tacitus, ut et illic: „de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regis portendat”¹⁾, et utrobique eandem rem

1) Cf. praecleari Statii versus Th. I, 705, ubi sic aliquis Apollinem alloquitur:
Tu doctus iniquas

Parcarum praenosse manus fatumque quod ultra est

significavit: nam vulgi illam opinionem efficere ut, quotiescunque cometes sit aspectus, is qui tunc imperium tenet unum alterumque virum nobilem, quem prae ceteris metuit, de medio tollat, sponte intelligitur. Sed observationem Tacito dignissimam corruptit, qui primus annotationem *Neroni* in textum recepit.

A. XVI, 17. Serione credamus iis hominibus scripsisse Tacitum, qui nescirent quid esset *procuratorem* esse? At eiusmodi sibi lectores finxit grammaticus, qui ad verba: „Mela ... adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes” annotavit: „administrandis principis negotiis,” quae verba nunc orationem Taciteam pessumdant.

Ex *Historiis* haec potissimum profero exempla:

H. I, 23. De Othonis in Galbam coniuratione perfida sic narrare Tacitus incipit:

„Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat, in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque nomine vocans ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando.”

Praeclare enuntiata haec sunt; sed ad *vetustissimum quemque* adscripsit aliquis *militum*, quod nunc in textu legitur; namque hactenus ne hoc quidem ab ullo doctorum virorum observatum videtur, quam dura quamque inepta esset repetitio in hisce: „studia *militum* ... vetustissimum quemque *militum*.”

H. I, 52. „Sub ipsas superioris anni kalendas Decembres Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat. Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae, plura ambitione, quaedam iudicio, in quibus sordes et avaritiam Fonteii Capitonis integre mutaverat.”

Et summo placitura Iovi, quis letifer annus,
Bella quibus populis, quae mutant sceptrum cometae.

Sic Tacitus scripsit; nam quae post *Fontei Capitonis* in codice leguntur: „adimendis assignandisque militiae ordinibus,” ea sciolo, qui primus adscripsit, esse reddenda, pro suo acumine dudum Nipperdeius perspexit. Vel una vox *militiae* auctorem prodit.

H. I, 85. Postquam perfido consilio imperium Galbae ademptum in se transtulerat Otho, nondum tamen quies redierat, ignaris etiam tum civibus iam ad certum exitum perductam rem:

„Coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas; et privato Othoni nuper nota adulatio.” Verus hic Tacitus agnoscitur, praesertim in ultimis *et privato Othoni nuper nota adulatio*, quod egregia brevitate haec significat: „Otho, qui paucis diebus ante privatus fuerat, facile adulationem a veritate dignoscere poterat; utpote qui saepe illa usus esset ipse.” Ultrane feramus nervos Taciteos hic incidi puerili additamento *atque eadem dicenti*, quod nunc cum praeclarae sententiae interitu post *nuper* in textu legitur?

H. I, 87. Obviam Vitellio cum Otho proficisceretur:

„curam navium Moschus libertus retinebat ad observandam honestiorum fidem.”

Satis perspicua, ut opinor, haec; sed quo magis apparet huic duci non accidisse quod accidit Aemilio Pacensi, ut in eius locum alius copiis praeficeretur, deinde, mutato imperatore, in integrum restitueretur (de illo enim in proxime praecedentibus haec leguntur: „Aemilio Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat”) annotavit aliquis *immutatus*, quod tamquam si bonae illud esset Latinitatis, scribae in textum receperunt (post *fidem*). Exemit Muretus; nostra aetate fortasse existent editores qui restituant.

H. II, 1. „Ubi Corinthi certos nuntios (Vespasianus) accepit de interitu Galbae e. q. s.”

Taciturne credamus nomini *Corinthi* adscripsisse „Achaiae urbe,” an cum Iacobo ista reddamus sciolo? Ne dubites, inspicere quae ad A. V, 10 annotavimus. Non minus insulsum (neque magis utile) interpretamentum in hisce deprehendimus (H. II, 20: de Caecina agitur cum exercitu per Italiam incedente): „ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, bracas [barbarum tegimen] indutus togatos alloqueretur.”

Unquamne quisquam inclusis verbis patrocinabitur? *βροτοῖσιν οὐδέν ἐστ' ἀπώμοτον.*

H. II, 23. Marcius Macer, dux Othonianus, rem bene gerit sed victoria sua non abutitur:

„Suspectum id Othonianis fuit, omnia ducum facta prave aestimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum variis criminibus incessebant.”

Ad nomina illa adscripsit aliquis: „nam eos quoque Otho praefecerat,” tamquam si cuiquam legentium ignoti esse possent primarii illi praeclarique duces Othoniani, ad quos cuncta, quae proxime praecedunt, sunt referenda, de quibusque I, 87 disertis verbis narratum est: „peditum equitumque copiis Suetonius Paulinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati.” Iam satis, ut opinor, nunc apparet quam ineptum istud quoque sit. Et tamen puerilem istam annotationem, in textum receptam, per longam saeculorum seriem aequo animo tulerunt viri docti, donec tandem aliquando Rittero, viro acutissimo, fraus soboluit,

H. II, 28. Praetextu utitur Valens ad Batavorum cohortes turbidas amovendas. Quod ubi ceteris militibus cognitum est, fremere omnes orbari se validissimo auxilio. Ergo cum acerba querimonia et alia disputant et haec:

„Si provincia” (nam ad eam defendendam Batavos istos Valens dimiserat) urbe et salute imperii potior sit, omnes

illuc sequerentur: sin victoriae columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos artus."

Vocabulum paulo minus usitatum *columen* aliquis utcunque interpretari est conatus adscribendo „sanitas, sustentaculum." Atque istud interpretamentum, tam importunum tamque parum aptum, sine ulla nota in textu perstitit, donec a Nipperdeio uncinis est inclusum, quibus tamen — ut nunc sunt mores — fortasse mox liberabitur.

H. II, 63. Dolabella quo crimine perierit sic narratur:

„Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. Id ei Plancius Varus praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum, praefectum urbis, obiecit."

Sicine Latinitati vim faciat quisquam, ut cum dicere velit: „*Dolabellae* Varus, ex intimis *eius* amicis, obiecit . . .," sed se nomen illud paulo ante ponere recordetur, pro illo pronomen *ei* ponat, tum tribus vocabulis interiectis ipso iterum nomine proprio utatur (*ei* Varus, ex intimis *Dolabellae* amicis obiecit)? Certe non fecit Tacitus, sed, quod elegantis est scriptoris, tantummodo *ex intimis amicis* scripsit, minime dubitans quin statim quisque intellecturus esset e *Dolabellae* intimis amicis fuisse Varum.

H. II, 78: „Recursabant animo (Vespasiani) vetera omina: cupressus [arbor] in agris eius, conspicua altitudine, repente prociderat e. q. s."

Balbutientem nobis Tacitum exhibuit, qui primus istud *arbor* verbis eius adiecit. Hic quoque primus mortalium veritatem agnovit Leopoldius meus.

H. II, 95. Ut significet quam mature novum illud Vitellii imperium omnia priorum regnorum vitia contraxerit, et alia tradit Tacitus et hoc acutissima enuntiat brevitate:

Nondum quartus a victoria mensis et *Asiaticus Polyclitos Patrobios* et vetera odiorum nomina aequabat."

Bene nobiscum actum fateamur quod non in codice sit: „*Vi-*

tellii libertus Asiaticus Polyclitos Patrobios, *Neronis libertos*." Nam nunc quod solum annotavit sciolus: *Vitellii libertus*, ad hunc usque diem omnes, quotquot sunt, editiones commaculat.

H. III, 23. In narratione de proelio ad Cremonam commisso et alia leguntur et haec:

„Neutro inclinaverat fortuna donec adulta nocte luna surgens ostenderet facies falleretque, sed Flavianis aequior a tergo; hinc maiores equorum virorumque umbrae, et falso ictu tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine conlucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur.”

Nonne, cum omnia hic sint praestantissima, tamen ceteris omnibus elegantius enuntiatum videtur illud *falso ictu tela hostium citra cadebant*? Quid enim hic vel ad perspicuitatem vel ad venustatem desideratur? Quid addi poterat sine summo elegantiae periculo atque adeo pernicie? *Falso ictu*: corpora nimirum esse umbras illas putabant. Hoccine voluit Tacitus? Non opinor, sed: „longae illae umbrae efficiebant ut de spatio, quod inter exercitus esset, et de loco, ubi starent hostes, Vitelliani fallerentur”¹⁾. Haec Taciti mens fuit, sed, qualis ille error fuisset accuratius describere supersedit; rectissime, nam sic praeclara nascitur descriptio. At aliter librario visum, vel potius viris doctis, qui, illi obsecuti, ad hunc usque diem in textu retinuerunt (post *falso*) insulsam annotationem *ut in corpora*. An Vitellianos de industria humum telis suis petiisse putemus?

H. III, 31. Cremona expugnata in victos Vitellianos victores „ingerebant probra, intentabant ictus”; mox tamen ira cessit misericordiae et:

„subiit recordatio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae

1) Egregie rem illustrat Plut. Pomp. 32: αἱ σκιαὶ πολὺ τῶν σωμάτων ἔμπροσθεν προιοῦσαι τοῖς πολεμίοις ἐπέβαλλον οὐ δυναμένοις τὸ διάστημα συνιδεῖν ἀκριβῶς, ἀλλ' ὡς ἐν χερσὶν ἤδη γεγονότων τοὺς ὕσσοὺς ἀφέντες μάρτην οὐδενὸς ἐφίκοιτο. Dixeri hic a Plutarcho verti locum Taciteum, qualem ego proposui.

temperassent. Sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis, dimota turba, incessit, exarsere victores."

Putavit sciolus haec aliquando lectum iri ab hominibus barbaris, qui sua sponte e verbis *praetexta lictoribusque insignis* quem honorem cum maxime gessisset Caecina efficere non possent. Annotavit ergo: *consul*, quod vocabulum, in textum receptum, nunc ipsa sede, quam occupavit, falsi arguitur: post *turba* enim legitur.

H. III, 48. In Aegypto cum esset etiam Vespasianus de proelii Cremonensis exitu fit certior:

„Eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii exercitu urbem quoque externae opis indigam fame urgeret. Namque ¹⁾ et Africam terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti factururus."

Numquid iis hominibus se scribere putavit Tacitus, qui in qua parte orbis terrarum provincia Africa sita esset ignorarent? Et si putavit, num quidquam se iis profuturum arbitratus est, si adscriberet *eodem latere sitam*? Immo magistelli ista est annotatio neque docti admodum et in scribendo parum elegantis.

H. III, 49. „Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia agebat, satisfactum bello ratus et cetera ex facili e. q. s."

Sermonem, ut opinor, nemo hic improbabit, de sententia nemo dubitabit; planissima enim sunt omnia. Verbis „nequaquam pari innocentia agebat" Antonium victorem iam et urbi appropinquantem cum eo Antonio comparari, qui modo e provincia sua castra moverit, quivis statim intelligit. Sed omnia corruptit librarius, qui in textum transtulit inutilem annotationem *post Cremonam*, quam adscripserat aliquis ad illustranda verba *satisfactum bello ratus*. Quae nunc ante *agebat* legitur, ubi nullo modo ferri possit. Age, clara voce

1) *Namque*: ecquid iamque?

aliquis recitet ista: „nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat”: statim vitium sentiet.

H. III, 73. Capitolium aggredientibus Vitellianis, dum Sabinus quid in tanto rerum discrimine agat dubius haeret: „inrumpunt Vitelliani et cuncta ferro flammaque miscent.”

De ipso Capitolio sermo hic est, de hominibus, qui tunc occisi sunt, in sequentibus agitur. Confudit ergo corruptitque omnia, qui inseruit *sanguine*. Non enim languidum solum est *sanguine ferro flammaque*, sed, nisi me fallunt omnia, ne Latinum quidem.

Ib. Irrumpentibus in Capitolium Vitellianis, Flavii Sabini milites variis artibus dolisque salutem quaesiverunt:

„fuere, qui excepto Vitellianorum signo ultro rogitantes audaciam pro latebra haberent.”

Planissima haec; nemo enim vel mediocriter Latine doctus de quo hic *signo* sit sermo dubitabit. Tamen Nipperdeio opus fuit, qui primus insulsum tolleret interpretamentum *quo inter se noscebantur*, quod ad illius usque aetatem voci illi adiunctum fuit. Et ne hoc quidem additamento contentus fuit sciolus, sed praeterea adscripsit aliquid, quod, item in textum receptum, maiorem etiam ei labem attulit: Flaviani illi milites, cum semel Vitellianorum signum excepissent, si in hostium, qui iam expugnauerant Capitolium, inciderent aliquem, non exspectabant donec ab illis signum rogarentur, sed *ultro rogitabant*: consentaneum illud est et unice in hunc casum convenit. At absurdissime in codice legitur: „ultro rogitantes *respondentesve*.” Cum *respondendi* enim verbo nullo modo adverbium *ultro* coniungi potest, et quod, tesseram rogati, *respondent* in ea re *audaciae* nihil est.

H. III, 83. Proelium inter Flavianos Vitellianosque committitur in campo Martio:

„Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos, rursus illos, clamore et plausu fovebat. Quoties

pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur.”

Facessat hinc *altera*, quod imperitus adscripsit magister. Oportuit saltem *alterutra*.

H. III, 84. Adoriuntur Flaviani castra Vitellianorum, qui illa, tamquam ultimum perfugium, summâ defendunt desperatione:

„Eo intentius victores, praecipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent.”

Hic continere se non potuit sciolus quin legentibus doctrinae suae documentum daret insigne, sed quae essent cuncta illa urbium excidiis reperta fideliter enumeravit: *testudinem tormenta aggeres facesque*. Et haec nunc in medio sermone Taciteo leguntur; cum quanto egregii loci detrimento vides. Inutile est singula hic corrigere, ut fecit Ritterus, qui *aggerem* coniecit pro *aggeres* et *falces* pro *faces*; una litura cuncta delenda sunt.

XVII.

Dubitaturum iam opinor neminem, qui haec omnia perlegerit, quin uterque codex Mediceus multis, iisque absurdissimis, sit commaculatus additamentis. Saepe ipsam magistelli audimus vocem stridulam, doctrinam suam legentibus venditantis, neque raro librarium in ipso transferendi negotio errantem deprehendimus, quo nullum est certius rei, quam demonstrare conati sumus, indicium. Sine ullo ergo metu, si qui locus corruptus uno alteroque vocabulo eximendo sanari potest, ea medela utemur, cum praesertim vocabula illa pleraque omnia eiusmodi sint ut ibi quoque eandem agnoscamus sciorum importunitatem, eundem scribarum errorem. Nam vocabulis delendis scriptori opem ferre perversum est, nisi demonstrare possis verisimile esse ea aliquando in margine vel inter lineas fuisse appicta; hoc vero ubi constat, nulla est vel efficacior vel magis probabilis emendandi ratio. Hic quoque a Mediceo priore faciemus initium, qui cum omnino paucioribus laboret vitiis, tum huius quoque morbi non ita multa praebet exempla.

A. I, 5. Paulo longior mihi hic locus exscribendus est:

„Haec atque talia agitantibus gravescere valitudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis sociis et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut iuvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. Gnarum id Caesari; neque multo post

extincto Maximo, dubium an quaesita morte ¹⁾), auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset.”

Videamus, qui rumor ille fuerit quo nitebatur opinio de veneno a Livia Augusto data, atque inducamus loquentem aliquem de vulgo hominum, quorum ea fuerit opinio: „paucos ante menses Augustus Planasiam vectus est ad Agrippam visendum, idque quam maxime secreto, namque cum cura elegerat omnes, qui in navi erant ²⁾), atque in ipsa insula unum tantum comitem habebat Fabium Maximum, qui ergo adfuit, cum Augustus cum Agrippa loquebatur: eiusmodi autem colloquium fuit illud, ut iamiam inter avum nepotemque reconciliatum iri gratiam appareret. Quam rem, maximopere celandam, Fabius uxori Marciae aperuit atque illa Liviae. En subito Fabius moritur: venenum nimirum ei dandum curaverat Livia, ut unicum testem rei tam molestae et sibi et Tiberio suo de medio tolleret; neque hoc sine iusta suspicor causa: audivimus enim Marciam lamentantem, quod causa marito exitii fuisset. Et nunc Augusti valitudinem gravescere audimus: quid magis est credibile quam in hunc quoque scelus molitam Liviam, ne perficeret id quod in animo eum habuisse comperisset illa? Iam mortuo Augusto mortuoque illo, qui solus testis fuit colloquii, quod illam mox futuram promitteret reconciliationem, nullum Liviae Tiberioque ab Agrippa erit metuendum periculum, aut a Tiberio, iam principe, nullo negotio ille quoque e vivorum poterit eximi numero.”

Eiusmodi hominum sermones, suspiciones, ratiocinationes ex ipsa vita sumtae videntur, et possent e Taciti quoque verbis facillime intelligi, nisi tria intercederent vocabula, quae totam

1) Utique tenendum hic quod de particula *an* sic posita observavimus p. 73. In illo enim *dubium an* hic sunt omnia.

2) Sic fere accipienda arbitror verba *electis consciis*, ut aliquid inter *comitem* et *conscios* intersit. Hoc certum *summam secreti curam* a Tacito significari.

rem perturbant et quam maxime reddunt obscuram: *Gnarum id Caesari*. Quid, quaeso, Caesar comperit? Nempe: *Maximum uxori, illam Liviae aperuisse.*" Alio verti pronomem *id* verborum contextus vetat. Et quid postea? *Augustusne* necandum Fabium curavit? Ut mittam, totam narrationem ad *Liviae* pertinere scelera et veneficia, quid minus e re Augusti fuit? Poterat ob eam causam vel totam rem omittere, vel, quod ipsi negotio consentaneum magis, maturare; necato Fabio nihil lucrabatur: ad Liviam iam permanerat tota res, Liviae, si forte ira motus Augustus de conscio suo tam incerto poenas sumpsisset, omnis eximebatur dubitatio quin vera audivisset; infestam sibi redditam Liviam scire poterat Augustus, si illud de Fabio et Marcia ei *gnarum* fuit: placari eam posse vel vitari eius insidias Fabii nece si nunc Augustus credidisset, insaniisse eum iure diceremus. Denique totum illud *Gnarum id Caesari* una litura delendum est: in margine sciolus aliquis adscripsit, qui deesse aliquid Taciti narrationi, quam non intellexerat, opinatus est ¹⁾.

I, 38. In narratione ²⁾ de tumultuantibus in Chaucis vexillariis haec legimus:

1) Quae leguntur apud Plutarchum de Garrulitate p. 508 (facio enim ibi non esse legendum quod dat Bernardakis vol. III p. 316 Φούλβιος, sed Φάβιος cum codice M.) non congruere cum nostra Tacitei loci emendatione et interpretatione lubenter concedo, sed omnino Plutarchus rem hic tradit admodum diversam ab ea, quam legimus apud Tacitum, sive proscribimus istud *Gnarum id Caesari*, sive in textu retinemus. Verum utcunque res se ea habet, primum efficiendum ut Tacitus dicat aliquid quod bene cohaereat: tum demum eius narratio cum aliorum narrationibus conferri potest. Idem et alibi tenendum. Sic, ut hoc utar, si quis nostram ad H. IV c. 83 emendationem (v. pag. 38) redargui contendat iis quae legantur apud Plutarchum De Soll. Anim. vol. VI p. 77, et De Is. et Os. vol. II p. 498 sqq. (Bern.), hoc ei respondeamus: Plutarchus deum illum, de quo agitur, Serapidem esse dicit; hoc ei licet, nam vetus deus Aegyptius et Sinopensis coaluerunt in unum; Tacito non licet eundem deum et esse et non esse Serapidem dicere, quod tamen fit in vulgata lectione.

2) Ceteras, quibus premeretur, difficultates iam antea indicavimus.

„Duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id M' Ennius, castrorum praefectus, bono magis exemplo quam concesso iure. Deinde intumescente motu profugus repertusque, postquam intutae latebrae, praesidiūm ab audacia mutuatur.”

Dubium esse non potest, quin illud *repertusque* delendum sit. Primum enim „postquam intutae latebrae” nihil aliud significat quam hoc: „postquam se *mox repertum iri* intellexit,” ineptissime ergo *repertusque* praemittitur. Deinde dux, in quem militum ira exarsit, si semel est *repertus* (i. e. e latebris, in quas confugit, protractus), a militibus aut statim trucidatur aut vincitur, aut denique ita retinetur constringiturque ut commovere se non possit. At Ennius „exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit;” manus ergo certe habebat liberas: sponte e latebris suis provolavit, ne tamquam captivus a militibus inde protraheretur.

A. I, 55. Postquam narravit quam bene Arminii consiliis prodendis meritis antea saepe de populo Romano fuisset Segestes, sic Tacitus pergit:

„Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat; auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat. *Gener invisus, inimici soceri*; quaeque apud concordēs vincula caritatis, incitamenta irrarum apud infensos erant.”

Sic est in codice: *inimici*, quod tuentur alii, dum *inimici soceri* aut genitivos singularis aut nominativos pluralis numeri esse statuunt, Nipperdeius *inimicus* coniecit et confidenter posuit in textu. Sed sive hunc sequimur, sive illos, haudquaquam intelligimus, quorsum illud pertineat eandem hic rem tamquam diversis e locis considerare. Etenim ubi de genere legimus, etiam cum socero vel socru eius rem nobis esse statim perspicimus, et, ubi gener est invisus, socer carus acceptusque esse nequit. Sin e textu vocabula illa eiicimus omnia perspicua fiunt atque venusta. Quomodo irrepere

potuerint quaeris? Duae mihi annotationes videntur ad verba illa vere Tacitea (et elegantissima haec est breuitas): „quaeque apud concordēs vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.”

A. I, 56. Germanicus expeditum exercitum in Chattos rapit et: „incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere.”

Sequitur etiam:

„quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit”

sed annotationem hanc olim fuisse ego non sine causa suspicari mihi videor. Nam verba Taciteum quendam habent colorem (haud nego), sed imitator se ipse pronomine *illi*, quod in hunc locum minime quadrat, prodit et praeterea observanda docendaque ea re, quae hinc prorsus est aliena. Etenim veram illam fuisse fugam, non simulatam, non *Φύβον* sed *Φύζαν* plenam perfectamque, tota narratio quam disertissime docet. Postremo illud „quod illi moris — cessit” legens non de *uno* Germanorum populo, sed de tota *Parthorum* gente agi putare cogaris.

A. I, 66. Caecinae milites vix e manibus Germanorum elapsi, dum postero die exitium adfuturum persuasum sibi habent, subito terrore perculsi ad portam decumanam plerique ruunt:

„Caecina, comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum clausit viam.”

Diutiusne feramus pulcherrimum hunc locum languidum frigidumque reddi insulsa magistelli annotatione *quia per corpus legati eundum erat*, quae nunc verbis *miseratione demum* adhaeret?

A. I, 72. De lege maiestatis, quam reduxerat Tiberius, ita Tacitus disputat:

„Nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant: si quis prodicione exercitum aut plebem seditionibus, denique male re gesta maiestatem populi Romani minuisset.”

Figurae, quae zeugma dicitur, hic nos admonent grammatici, neque ego nego e *minuendi* verbo aliud extrahi posse verbum, quod aliquo modo „exercitum” obiectum habere possit. Sed quid accusativo *plebem* faciamus? Certe *plebem minuere* nihili est, quamvis verbum illud in alium sensum, qui tamen aliquo modo innatae significationi cognatus sit, detorqueamus. Deinde tota loci enuntiatio eiusmodi est ut *plebs* et *exercitus* non videantur populi Romani partes: etenim quocumque tandem modo *minuendi* verbum flectimus vertimusque, hoc spectantes ut tam *plebs* et *exercitus* quam *maiestas* recte *minui* dicantur, adverbium *denique* certe non potest aliter accipi quam sic ut non *comprehendendi* („kortom”), sed *claudendi* („eindelijk”) vim habeat. Mihi luce clarius videtur et *exercitum* et *plebem* olim fuisse annotationes hominis, qui ne vocabulorum quidem, quae sunt *proditio* et *seditio*, sententiam accurate cognitam haberet, hoc docere unice studentis *proditionem* rem esse, quae ad exercitum, *seditionem*, quae ad plebem pertineret. Reiectis e textu annotationibus optimum verissimumque restitui sensum et alia multa docent et hi Ciceronis loci: de Or. II, 164; Part. Or. XXX, 105.

A. II, 52. Quae hic de proelio, quo Tacfarinas a Furio Camillo fusus profligatusque est, narrantur e sex constant partibus:

1. Camillus in hostem duxit: „modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares.”
2. „Sed nihil aequè cavebatur, quam ne bellum metu eluderent.”
3. „Spe victoriae inducti sunt ut vincerentur.”
4. „Igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur.”

5. „Nec Tacfarinas pugnam detrectavit.”

6. „Fusi Numidae.”

Parum ergo apte tota est disposita narratio. Nam, ut nunc res se habet, id quod tertio est positum loco (*spe victoriae inducti sunt ut vincerentur*) illam in breve spatium comprehendit, vel potius quid „fabula doceat” nos admonet, atque ut quinta pars (*Nec T. pugnam detrectavit*) plane fiat supervacua efficit. Quid vero si illud *spe victoriae inducti sunt ut vincerentur* eiicimus? Omnia, ut opinor, fiunt expeditissima, et elegantissime decurrunt. Et quamquam satis venuste dictum id est quod nos proscribimus, putidum tamen sapit magistrum.

A. VI. 3. „Iunium Gallionem, qui censuerat, nt praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit (Tiberius), velut coram rogitans, quid illi cum militibus, quos neque dicta imperatoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset.”

Sic est in codice; Lipsius *imperatoris* delet; mihi verisimilius videtur Tacitum scripsisse: „quos neque dicta neque praemia nisi *imperatoris* accipere par esset”, quod cum ad intelligendum paulo videretur difficilium in margine annotatum esse *ab imperatore* ad structuram magis consuetam indicandam; cumque semel ea annotatio post *nisi* in textu esset posita, suo loco pulsum *imperatoris* in alienum aberrasse. Hoc certum est non posse sanari locum nisi uno pluribusve vocabulis recidendis: nemini enim probari opinor vel Nipperdeianum *nisi e praetorio*, vel Ritterianum *imperiti oratoris*.

Ad alterum nunc codicem Mediceum transeamus.

A. XI, 4. Quo crimine fratrum, quibus Petra cognomen, alter perierit his verbis traditur:

„Nocturnae quietis species obiecta, tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum spicis retro conversis, eaque imagine gravitatem annonae dixisset.”

Sic est in codice. Pro *dixisset* autem Rhenanus coniecit

praedixisset, vulgoque ab editoribus ea coniectura in textum recipitur. At ego bonae sinceraeque Latinitatis esse *ea imagine gravitatem annonae praedixit* non credo, quia *ea imagine* nobis sic erit accipiendum ut sit: *propter eam imaginem* sive: *ea imagine motus*, et omnino totum illud *ea — praedixit* languidum minimeque Taciteum videtur. Multo ergo melius, quod proposuit Cornelissenus: *eaque imagine gravitatem annonae portendi praedixisset*. Sed hoc quoque verbosum nimis, ipsaque coniectura aliquanto etiam violentior quam Rhenaniana illa, quae et ipsa satis audax. Equidem Tacitum scripsisse opinor: *eamque imaginem annonae dixisset*, deleto *gravitatem*, quod est vocabulum tritum, ubi de aucto frumenti pretio agitur (cf. VI, 13: „gravitate annonae iuxta seditionem ventum”). Non solum viderat nocturnam eam speciem Petra, sed etiam evulgaverat ipse (nam alioquin qui innotescere potuit delatoribus?) neque evulgaverat solum sed etiam simul ita erat interpretatus ut infaustissimi ominis vim haberet. Etenim si imago illa Claudii spicae corona evincti ad annonam referenda est, *gravitatem caritatemque* annonae ea significari sponte sequitur, siquidem coronae spicae *retro* conversae erant. Si narrato somnio hoc solum addidit: *annonae imago ea est*, et perspicue satis est locutus et id dixit quod Claudius non aegre ferre non posset: nam cuiquam se civium tristissimae rei nuntium apparuisse cum dolore cognoscere debebat, cum praesertim tota res eiusmodi esset, ut facile a malignis in ipsum posset converti instantium miseriarum culpa!

A. XI, 7. Silio consule, ut delatorum cohiberet libidinem, de reducenda lege Cincia referente, Suillius, Cossutianus aliique calumniatores, poenam sibi hac relatione parari intelligentes, acriter obsistunt. Quorum orationem sic referre Tacitus incipit:

„Quem illum tanta superbia esse ut aeternitatem famae spe praesumat? Usui et rebus subsidium parari, ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit.”

Verbis *usui* — *parari* de *patronorum* agi commodis Nipperdeio lubenter assentior: sic enim demum nanciscimur aliquid, quod recte opponatur ineptae arrogantiae eorum, si qui eloquentia sua immortales se fore credunt, de qua in praecedentibus sermo est. At istud *ne quis* — *sit* nequaquam cum illis cohaeret, quod ultro indicat Nipperdeius, in annotatione sua sic scribens: „und dies müsse geschehen damit nicht“, ubi totum illud *und dies müsse geschehen* ab ipso Nipperdeio de nihilo est confictum. Totum negotium, de quo hic agitur, disputando persequamur. Fac nullam iam mercedem causarum patronis dari. Quid sequitur? Nempe ut hominibus insontibus inopibusque nullae posthac a causarum patronis exhibeantur molestiae, siquidem iniqui isti pravique patroni esse mox desinent, neque tamen unquam deerunt probi homines, qui iniuriis obstare et velint et possint. Nonne enim cives ideo obnoxii calumniatoribus fiunt, quod eloquentia forensis tantum lucri affert? At in textu legimus aliquid, quod quo convertamus plane nescimus: „ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit.“ *Potentes* illi qui, quaeso, sunt? Praeter ipsum imperatorem vix ulli alii homines recte illo significantur vocabulo. Nam adversus alios *potentes* non causarum patroni sunt adhibendi, sed ipsius est implorandum principis auxilium. Iam satis, ut opinor, apparet quam inepte disputantes loco nostro, sicut nunc in textu legitur, callidi isti fingantur rabulae. Non ergo sine causa totum illud „ne quis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit“ annotationem esse scioli suspicor, qui verba *usui et rebus* ad universos esse referenda cives putaret. Quid quod illis eiectis demum recte sequentia annectuntur: „neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat“, i. e. „vel sic non (= neque tamen) posse quemquam sine magno damno gravique iactura eloquentem fieri, ergo *ne purum* quidem et *integrum* esse lucrum, quod labor ferat forensis.“

A. XI, 26. „Iam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi simulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat.”

Haud dubie corruptus locus hic est; lacunosum putabat Nipperdeus et sic fere supplendum: „Silius *sive taedio incertae fortunae* sive fatali vecordia e. q. s.” At languet istud *sive — sive — an* et duo ista *fatali vecordia* et *an . . . ratus* omnem de Sili consilio coniectandi materiem tam bene exhauriunt, ut, quidquid addideris, ultro locum depraves. Quanto ergo praestat Acidalii ratio *sive* delentis, quod additum esse non minus est verisimile quam alterum colon, a *sive* incipiens, excidisse. Adscripsit illud *sive* homo imperitus, qui simplicis *an* usum ignorabat.

A. XII, 15. Mithridates Bosporanus undique collecto exercitu in Cotyis, Romanorum socii, regnum et in provinciam, quam Iulius Aquila obtinebat, irrupit. Qui suis diffisi viribus:

„externas et ipsi gratias quaesivere, missis legatis ad Eunonem, qui Aorsorum genti praesidebat ¹⁾). Nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostendantibus.”

Utique *societas* eiiciendum est; non enim nudum illud substantivum significare potest: „τὸ ad societatem adducere.” Eiecto omnia ordine procedunt: „nec fuit in arduo” idem est quod: „et facile fuit negotium.”

Iterum in vocabulo q. e. *societas* turbatum videtur A. XII, 47: Radamistus Pharasmanis, Hiberorum regis, filius, cum patruo Mithridate, Armeniorum rege, quem obsidione clausum tenet, in gratiam se redire simulat, cumque eo extra castellum, quod obsidetur, congregitur:

1) *Praesidebat* ex egregia Haasii emendatione; inepte in codice *praecellebat* legitur.

„Mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere.”

Deleatur *in*: non enim ista fiunt in primo congressu, qui colloquii de societate causa habetur, sed postquam congressis multaque utrimque locutis iam placuit societas. Addidit aliquis, qui locutionem sibi inauditam *societatem coire* non concoqueret. E Cicerone tamen notam eam habere poterat.

A. XII, 51. Radamistus, qui Armeniam occupavit crudelique vexat imperio, ab iratis civibus in sua regia circumvenitur, sed pernicitate equi se obsidentibus subtrahit. Post variosque casus:

„Hiberos ad patrium regnum pervadit.”

Ut sanaretur soloeca verborum structura, Heinsius: „ad Hiberos patrium in regnum pervadit” proposuit; Bezzenbergerus: „ad Hiberos patrium regnum p.”. Sed quanto efficacior leniorque Ritteri ratio totum illud *Hiberos* delentis. Esset cur miraremur, si ad Taciti verba *ad patrium regnum* nunquam istud *Hiberos* adscriptum fuisset.

A. XII, 54. Felix Samaritarum et Ventidius Cumanus Galilaeorum praefectus inter se immissis latronibus raptant praedasque ad procuratores referunt:

„hique primo laetari; mox gliscente pernicie cum arma *militum* interiecissent, caesi *milites*.”

Diutiusne absurdum istum et ipso vocabulorum sono intolerabilem sermonem feramus, an *militum* eiiciamus? Certe nudo vocabulo *arma* ad perspicuitatem nihil deest: latrones isti fortasse — quamquam ne hoc quidem necessarium — secum habuerunt aliquid, quo vulnera facere possent; iusta *arma* non habuerunt.

A. XII, 64: Prodigiorum omne genus civium mentes perturbabat:

„Sed in praecipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatale sibi, ut coniugum flagitia

ferret, dein puniret, metuens, agere et celerare statuit.”

Ut horum vocabulorum aliqua tamen constet ratio, post *Agrippina* distinctio ponenda est maior, ita ut *erat*, vel *versabatur* mente sit supplendum. Sed sic structura nascitur parum, hercle, venusta et Tacito prorsus indigna. At eiecto *in* omnia fiunt elegantissima, sive *praecipuo pavor* tamquam aliquem „ablativum absolutum” accipimus (= Agr., cuius praecipuo erat pavor), sive cum *metuens* iungimus.

A. XII, 65. Agrippina ergo, extremum sibi instare periculum gnara:

„Amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfec-
tores ulcisceretur.”

Num quidquam est absurdius quam puerum *adhortari* ut quam primum adolescat? Non, ut opinor, ἐν εὐχαίς τοῦτο εἶναι τὸ πρᾶγμα callida mulier ignorabat, quod et praecedentia *robur aetatis quam maturrimum precari* testantur. Etiam si in tali re quidquam monendo et incitando proficeretur, tamen tam parvo spatio bis eandem rem significare eleganti scriptore indignum foret. Facessat ergo *adolesceret* eo, unde male pedem intulit.

A. XIII, 34. Causa denuo inter Romanos Parthosque exorti belli haec erat, quod ipse Vologaeses suis copiis Tiridaten in Armeniae regnum deducere cupiebat et quod:

„Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti ac libertate ignota *illud* magis ad servitium inclinantes.”

Sic Lipsius, quem plerique sequuntur editores, nam in codice est *illuc*. Sed *illud ad servitium* neque eleganter neque perspicue neque, quod gravissimum est, accurate dictum videtur. Non possunt enim hoc loco duo inter se opponi servitia, quod tamen fieret, si Armenii ad *certum aliquod*

servitium *magis* inclinare dicerentur: servi enim Parthorum quam Romanorum fieri malle dicerentur. At Armenii cum faciunt quod Romani cupiunt, ut regem a senatu Romano petant, scriptori Romano non servi fieri sed plenam perfectamque accipere libertatem videntur. Parthorum ille eos *servos*, at Romanorum *socios amicosque* dicit. Ergo *illuc*, quod traditum est, servandum ego censeo, at delendum *ad servitium*. Sic omnia Taciteo erunt enuntiata sermone et Romani hominis referent iudicium. Multis rebus Armenii propiores Parthis quam Romanis erant, et *libertate ignota illuc* magis inclinabant. Nunc non duo inter se opponuntur servitia, sed *libertas*, quae sociorum Populi Romani est et *servitium* gentis, quae Parthis se adiungit. Bene rem perspexit qui hic adscripsit *ad servitium*, sed annotationem eius in textum recipi non oportebat.

A. XIII, 40. Ad confligendum cum Armeniis procedunt Romani:

„In cornibus pedes sagittarius et cetera manus equitum ibat *productiore cornu in sinistro*.”

Pro vitiosa Medicei lectione deteriores exhibent *productior cornu in sinistro*, Agricola *productiore cornu sinistro* coniecit, Lipsius: *productiore cornuum sinistro*, Nipperdeius vero *productiores in sinistro*, quae omnium est pessima coniectura. Sed neque ceteras quisquam, ut opinor, probabit. Unice verum videtur quod dat Halmius: *productiore sinistro*, qua lectione simul quomodo nata sit Medicei lectio patefit: vocabulum in margine adscriptum ita in textum est receptum ut dittographia fieret: *cornu sin sinistro*, unde corrector quidam infelix *cornus in sinistro* finxit.

id. Corbulo secum de urbe Artaxatis petenda agitat ratus illuc Tiridaten concessisse:

„Dein postquam exploratores attulere longinquum regis iter... lucem opperitur; praemissaque levi armatura, quae

muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet.”

Claudicare orationem quivis videt, sed non restituunt eam, qui pro *levi* scribunt *levis* et a *praemissaque* novum incipiunt colum. Quanto rectius Heinsius *levi* retinet sed *que* eiicit, ut omnia sic decurrant: „lucem opperitur, praemissa *levi* armatura e. q. s.”

A. XIII, 54. Frisii, rati duces Romanos vetitos castra movere, Romanae dicionis agros quosdam vacuos occupant et ut suos exercent auctoribus Verrito et Malorige. Tum:

„Dubius Avitus, accepta a Paulino provincia, minitandovim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare impetrarent, perpulit Verritum et Malorigem.”

Quid certius quam puerile istud *Frisii* e margine irrepsisse?

A. XIV, 20. Antiqui moris homines novos a Nerone institutos ludos aegre ferebant, commemorabantque avorum indignationem in Pompeium:

„quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus et scaena in tempus structa ludos edi solitos; vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, teatro dies totos ignavia continuaret.”

Rectissime Agricola particulam *ne*, quae in codice post *continuaret* legitur, huc transiecit, ubi nunc est in editionibus. Sed non perfecit emendationem; ferri enim non potest *theatro*, sive cum *consideret*, sive cum *continuaret* iungis. In margine adscripsit vir probior quam sollertior, metuens ne quis ignoraret quae *ignavia* hic esset intelligenda.

A. XIV, 38. In Britannia Iulius Classicus procurator omnibus modis Suetonium, qui hactenus vario eventu rem ibi gesserat, oppugnabat:

„simul in urbem mandabat nullum proeliorum finem expectarent, nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera *ad fortunam ipsius* referebat.”

Sic est in codice; pro *ipsius* autem satis audacibus coniecturis Puteolanus *reipublicae*, Sirkerus *imperatoris* reposuerunt. Sed nihil *pravitati ipsius* elegantius opponitur, quam nuda vox *fortuna*; recte ergo Ernestus *ad fortunam referebat* scribendum esse statuit, magistelloque, qui in margine appinxit, suum sibi *ipsius* reddendum.

A. XIV, 54. Cognito sibi a delatoribus insidias strui, Seneca colloquium a Nerone petit impetratque, in quo, gnarus e suis divitiis, potentia, eloquentiae fama, praesertim periculum sibi nasci et alia dicit et haec:

„cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iuvare procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi.”

Sic in codice a prima manu est, altera *iube* correxit et *per* addidit, unde nunc plerumque *iube rem per procuratores tuos administrari* editur. Elegantius illi qui istud *rem* (*re*) quoque eliminant, quod, proxime praecedente *opes*, plane est supervacuum; utrum *iube per procuratores tuos administrari* an *iube procuratores tuos administrare* (Ritterus) legamus parum refert, sed illud propter sequens *recipi* verisimilius, nam *per* ante *procuratores* facile excidere potuit. Iam habemus: „cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: „iube per procuratores tuos administrari.” Poteratne res maiore urbanitate significari? Opes suas Seneca tradit Caesari, sed non utitur *dandi*, vel *donandi* verbis, quae tamquam contumelias accipere Nero poterat. Et tamen, si suos procuratores eas administrare iubet, nil aliud quam dono eas accipit. Ergo cum loquendi urbanitate summam iungit Senecā acerbiter. Sed perit omne orationis artificium, si praeterea aliquid additur simile istis *in tuam fortunam recipi*, quibus olim magistellus lectionem *iube per procuratores tuos administrari* illustravit. An censeamus de industria haec sic a Tacito posita esse, ut sermonis ubertatem, quo in scribendo

usus esset Seneca, imitaretur? In magno honore nunc eiusmodi sunt argumenta, cum id agitur ut lectiones traditae, quamvis absurdae, defendantur. At ego nunquam adeo verbum fuisse Senecam credo ut, cum aliquam rem tecte, acute, venuste significasset et legentibus intelligendam reliquisset, statim eiusdem tritum quotidianumque nomen adderet; sed cum personatum Senecam sic loquentem audio: „senex et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iube per procuratores tuos administrari. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis, quorum fulgore praestringor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo”, laudo admirorque auctorem fabulae, certeque dignum eum arbitror, qui a sciorum nihil intelligentium importunitate defendatur.

A. XIV, 59. Plautum Sullamque iam exules, sed quos summopere etiam metuendos esse ei Tigellinus persuaserat, per percussores suos de medio sustulit Nero, scripsitque ad senatum literas, quibus securitati reipublicae a se consultum nuntiaret:

„Decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus *tam* ludibriis quam malis.”

Sic in codice est. Iam a primis inde temporibus critici, ut pro *tam* aliud vocabulum reponerent, quod aptius videretur, desudarunt: in deterioribus est *tamen*, Agricola *iam* coniecit, Halmius *tum*. At nihil reponendum, unaque litura delendum istud *tam* censeo, utpote adscriptum ab indocto homine, qui unde *quam* penderet non intelligeret, et quem omne sententioe fugeret acumen. Hoc fere dicit Tacitus: „ne ipsa quidem *mala* (i. e. caedes illae et crudelitates Neronis) tam gravia cognitu sunt (tamque digna odio nostro et indignatione), quam scurrilis ista et abiecta senatus adulatio.”

A. XV, 65. „Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus...

destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecae... Quin et verba Flavi vulgabantur non referre dedecori, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet."

Ad lectionem traditam *dedecori* defendendam afferuntur duo loci, de quibus tacere praestat: Plauti enim est alter, alter Horatii versus ille notissimus:

dic quid referat intra
Naturae finis viventi, iugera centum an
Mille aret?

In quo praesidii nihil esse apparet: *homo* enim ibi dativo designatur. Ergo plerumque Heinsii probatur coniectura, sane lenissima *dedecoris*, quoniam ipse Tacitus H. I, 1 dixerit: „omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit”, Quint. IX, 4, 44: „plurimum refert compositionis”, Plin. Ep. VIII, 22: „quisquis ille, qualiscunque, sileatur, quem insignire exempli nihil, non insignire humanitatis plurimum refert”¹⁾. Sed tribus his locis *pax*, *compositio*, *exemplum*, *humanitas* tamquam homines cogitantur, et, quod gravius, si ad illorum exemplum noster locus emendetur, non *dedecoris*, verum *decoris*, sit scribendum. Unum tantummodo hactenus allatum video, qui plane huc conveniat: Plin. Paneg. 40: „tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit, an constituas ut debeatur?” Sed quamquam fortasse a sedulis venatoribus pauci quidam alii e latebris protrahentur, admodum insoliti aliquid Tacito Heinsiana obrudi coniectura satis apparet. Iam sententiam dicti consideremus: „parum refert” (Flavus ait) „utrum citharoedum an tragoedum imperatorem habeamus.” Num quidquam hic deest? Immo vero quidquid

1) Totus locus est huiusmodi: ut amicum a nimia in aliena vitia deterreat severitate, exemplum se ei coram narraturum promittit Plinius viri, qui aliquando in poenis sumendis modum excesserit; sed nomen eius se ne tum quidem editurum verbis, quae citavimus, significat.

addideris, languidum reddes quod acre fuit et mordax. Cf. A. VI, 2 (Post mortem Seiani et aliae dicebantur ab adulatoribus Tiberii in senatu sententiae et haec): „bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur, tamquam referret.” A. XI, 36: „sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre.” H. II, 7: „nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret.” H. III, 66: „id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant an per virtutem.” Vides omnibus hisce sententiis eundem esse colorem, eandem acerbitatem . . . atque verbo *refert* nullum addi genitivum. Quid ergo, si statuamus nostro quoque loco scripsisse Tacitum: „non referre, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet”? Num incredibile est adscripsisse aliquem: „dedecori”, quo utcunque significaret hoc velle auctorem: „idem esse utriusque rei dedecus et eandem turpitudinem”? Immo audire mihi hominis vocem videor.

A. XV, 69. Vestinus consul, Neroni prae ceteris mortalibus invisus, inter ipsas epulas immite ab imperatore accipit imperium, quod confestim exsequitur:

„Circumdati interim custodia, qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium et imaginatus et irridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus.”

Tum demum Taciti hic manum agnoscemus, si utrumque *et* (tam illud quod ante quam quod post *imaginatus* legitur) simulque participium *irridens* deleverimus: „postquam pavorem eorum ex mensa exitium opperientium imaginatus Nero satis supplicii luisse ait.” Ecquis nostrum nunc monendus etiam est ab *irridente* haec Nerone dicta? Haud opinor.

A. XVI, 2. Ab impostore deceptus Nero ingentes sibi auri thesauros repertos credit, cumque forte eodem tempore ludi quinquennales celebrarentur largam hanc imperatori adulandi materiem avidè arripuerunt oratores: non confusum

aliis metallis sed purum putum e terra provenire aurum declamabant:

„quaeque alia summa facundia nec minore adulatione fingeant, securi de facilitate credentis.”

Hic se magistellus continere non potuit quin indignationem suam in margine annotando „servilia” significaret. Et nunc in textu legitur: „quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingeant”! Sed quicumque Taciteam orationem probe notam habet amatque, ex exemplari suo importunum istud *servilia* eradet.

A. XVI, 6. De funere Poppaeae et alia et haec legimus:

„Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur.”

Hic Agricola pro *Romanus* legit *Romanis*, quod certe colorem magis Latinum magisque Taciteum habet. Sed quis credat hominem Romanum aequalibus scribentem omnino adiecisse aliquid quale est istud *ut Romanis mos*? Cum vero traditum exstet *Romanus*, statim magistellum agnoscimus, et eum quidem magistellum, cuius parum accurata sit doctrina. Non enim vetustus est apud Romanos mos corporum cremandorum.

A. XVI, 10. L. Vetus in Formiano suo custodia, a Nerone immissa circumdatur:

„aderat filia, super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti, mariti sui viderat; cruentamque cervicem eius amplexa servabat *sanguinem et vestes respersas*.”

Sic est in codice et sic plerumque etiam nunc editur. Sed iam dudum quid Taciti quid interpolatoris sit constat. Illius enim manum restituit Heinsius legendo: *sanguine vestes respersas*.

A. XVI, 17. Lucani pater, Annaeus Mela, vir praedives, tamquam conscius coniurationis accusatur:

„Mela... exolvit venas, scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. *Additur codicillis tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset*, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufrium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi.”

Sunt etiam nunc qui istam verborum farraginem concoquant; sunt qui eam ultro perturbent pro *scripsisset* legendo *scripsisse*, ut *additur* eam accipiat structuram, quam habere solent *dicitur*, *videtur* simm. Quasi vero non sit luce clarius, ubi in eadem narratione et de *codicillis* sermo sit, et aliqua verbi *addendi* forma legatur, de nulla alia re ibi sermonem esse posse quam de aliquo ipsorum codicillorum additamento. Tandem aliquando exstitit Draegerus, qui sciolum deprehenderet. Quod autem totum illud *tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset* e textu eximit, fortasse modum excedit. Si quis enim retineri posse *tamquam de iniquitate exitii querens* contendit, equidem non repugno, dummodo hinc facessat *codicillis* et — nam ita demum apparebit, qui fieri potuerit ut tam immanem in modum hic locus corrumperetur — pro *additur* legatur *addit*. Scripsisse ergo Tacitum arbitror: „addit, tamquam de iniquitate exitii querens, se quidem mori nullis supplicii causis e. q. s.” Cum semel *addit*, quod frequentissimum vitium est, in *additur* transiisset, cetera omnia sponte sunt secuta.

A. XVI, 30. „Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani accusator, ingreditur orditurque de amicitia Rubelli Plauti, quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius adcommodatum quam ex utilitate communi egisset.”

Vidi editorem traditae lectionis tam tenacem, ut ista sic in textu suo proponeret. Si nobilissimi scriptores Latini talia protulerunt, ego a literis Latinis ingenuam iuventutem procul arcendam censeo. Dudum est ex quo saniora docuit

Nipperdeius, sed quod ille dedit *popularitate* neque admodum elegans est nec verisimile. Si quis ét Taciteam orationem restitutam ét convictum interpolatorem cupit, totum illud *pro claritate* aut deleat aut denuo in marginem releget. Cum enim eleganter quidem sed paulo obscurius significasset Tacitus Sabinum esse accusatum, quod in proconsulatu gendo non tam publicum commodum quam suum spectasset, annotavit aliquis *pro claritate*, nempe ut doceret Sabinum huic rei praesertim in provincia dedisse operam ut ipse inclaresceret. Et bene quidem Taciti perspexit mentem ille, sed pulchre conformatam sententiam: „quodque proconsulatum sibi potius accommodatum quam ex utilitate communi egisset” corrumpit qui annotationem, quamvis prudentem, admisit.

Ex *Historiis* hosce praesertim locos hanc flagitare medicinam opinor:

H. I, 2. Brevi conspectu mala enumerans, quibus eo tempore sit afflicta respublica, de quo iam sit scripturus, et alia Tacitus profert et hoc:

„hausta aut obruta fecundissima Campaniae ora.”

Statim dedi locum, sicut revera a Tacito est scriptus et sicut eum Woelfflinii restituit acumen; admodum enim corruptum eum exhibet codex Mediceus. Scilicet lector, quae de *urbibus* Pompeiis Herculaneoque dirutis cognita haberet, cum sibi retinere non posset, suum *urbes* infersit, quo factum est ut cum gravissimo sententiae detrimento, cum numerorum Taciteorum pernicie ante Woelfflinium vulgo ederetur: „haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae ora.”

H. I, 5. De Galba alii optima quaeque augurabantur, aliis ipsae virtutes eius suspectae erant:

„Laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur.”

Sicine a Tacito scriptum putemus: "ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos"? Mihi aut absurdissima ista videntur aut inepte verbosa. Etenim aut bis hic idem temporis spatium indicatur, aut, si in verbis *a Nerone* quidquam inest, quod non sit in verbis *quattuordecim annis*, homo hic nobis describitur ipso Nerone multo insanior. Tum demum "ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos" recte habet, si Neronem fingimus per quattuordecim annos *huic rei operam dedisse* ut animi militum corrumpantur. Quod quoniam non voluisse Tacitum constat, istud *a Nerone* sciolo reddemus: quod restabit vere Taciteum erit.

H. I, 30. Cohortem, quae in Palatio stationem agit, ut odio contemptuque Othonis impleat, et aliis alloquitur verbis et hisce Piso:

"Stupra nunc et comissiones et feminarum coetus volvit animo: haec principatus praemia putat, quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor et dedecus penes omnes."

Pronomen *haec* aut ad praecedentia (*stupra, comissiones, coetus*) referri potest, aut — et sic mihi quidem tota Pisonis oratio gravior ponderosiorque fieri videtur — nova hinc potest inchoari sententia. Sed sive hoc, sive illud malumus, molestum nobis est *sit*, quo vitium in textum introducitur simillimum ei, quod modo notabamus („ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos"). Videtur enim Otho insimulari quod *de industria* illum omnium ruborem et illud omnium dedecus provocet. At non illud vult Piso verum hoc: „nil nisi voluptates Otho appetit; utrum honestae illae sint an totam civitatem dedecore afficiant, id minime curat." Habebimus hoc, si *sit* deleverimus.

Saepe vocula *et* invito Tacito obruditur. Possitne servari in his I, 73: „expostulata ad supplicium Calvia Crispinilla variis frustrationibus *et* adversa dissimulantis principis fama periculo exempta est", dubito, sed eximere malo, quoniam

ablativorum *variis frustrationibus et adversa fama* tam diversa natura est.

Verum non dubito quin bis sit expellenda I. 85:

(Sedato tumultu praetorianorum, qui ad trucidandos senatores in Palatium irruerant), „non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli, *et* militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu *et* maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat.”

Atque illud quidem *et*, quod post *habitu* legit, expulit Classenus, quod post *belli* Doederlinus, rectius quam Meiserus qui: “facies belli et metus, militibus e. q. s.” proposuit, quae nimia est verboritas.

Ambabus vero manibus arripio Leopoldii mei venustissimam emendationem II, 46 (describuntur militum studia, Othonem post Bedriacense proelium ne desperet hortantium);

„qui procul astiterant, tendere manus, et proximi prensare genua”

cum magno Taciteae orationis emolumento *et* delentis ¹⁾).

H. II, 48 (Ex pulcherimo illo loco, ubi quomodo fratris filium adolescentulum trepidum atque maerentem solatus sit Otho narratur):

„Mereri se festinato exitu clementiam victoris: non enim ultima desperatione, sed poscente proelium exercitu, remisisse rei publicae novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. Proinde erecto animo capesseret

1) Item delendum *et* censeo in hisce:

H. III, 44: „(Vespasianus) illic secundae legioni a Claudio praepositus *et* bello clarus egerat.”

H. III, 74: „Sabinus et Atticus onerati catenis *et* ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur.”

A. I, 4: „Hunc (Tiberium) *et* prima ab infantia eductum in domo regnatrice, congestos iuveni consulatus.”

vitam, neu patrum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset.”

Num quidquam hic desideratur? Immo omnia sunt praestantissima absolutissimaque. Postquam adolescentulo persuasit in praesentia nihil ei esse periculi, ne in posterum ipse sibi pericula provocet hoc eum monet argumento: „contentus esse potes ea dignitate, quam ego in gentem nostram intuli; quid tibi opus ad altiora tendere?” Et sunt hic omnia praecclare enuntiata; pulcherrime vero post brevem sententiolam „satis posteris nobilitatis quaesitum” *statim* subiicitur clausula, qua tota allocutio quodammodo in unam hanc contrahitur adhortationem, qua nihil unquam ad animos commovendos aptius fuit: „proinde erecto animo capesseret vitam, neu patrum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset.” Quid vero codex? Post illa: „satis sibi . . . quaesitum” haec etiam nobis ingerit: „post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse”, in quibus multa reprehendenda sunt, vix quidquam est quod probes. Primum divelluntur iis ea quae utique iungenda et inter se constringenda sunt. Tum non ita facile est aptum inde extundere sensum. Quid enim illud est: „ego primus in familiam novam imperium intuli”? Fuitne omnino Othonis gens tam obscura ut prae ceteris *nova* recte diceretur? Immo pater eius „urbanos honores, proconsulatum Africae et extraordinaria imperia . . . administraverat” (Suet.) et gratia Tiberii floruerat. Tum mire post nomina gentilia *Iulios Claudios* Galbae *praenomen* Servius subiicitur. Hoc vero absurdissimum quod cum imperiis illis, quae Iulii et Claudii per longam annorum seriem obtinuerunt, pauci illi Galbae menses componuntur, tamquam si nihil interesset. Denique omnia semidoctum produunt hominem, cuius misella annotatiuncula debilitari virilem robustamque Othonis orationem non ultra feremus.

H. II, 68. In exercitu Vitellii e rixa legionarii militis et Galli ingens tumultus caedesque nascitur:

„Remedium tumultus fuit alius tumultus. Pulvis procul et arma aspiciabantur: conclamatum repente quartam decimam legionem verso itinere ad proelium venire; sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem.”

Dicere non possum quam ingrata mihi accèdat ad aures huius loci oratio; elumbis videtur, languida, puerilis. Praesertim colon istud *sed erant agminis coactores* ieunum frigidumque est; sed omnino vehementer displicet in duo membra distracta simplicissimae rei narratio. Vin in unum corpus solidum atque robustum cuncta colligi? Mecum lege: „sed agminis coactores agniti dempsere sollicitudinem.”

Simili morbo laborat locus H. III, 25. Praecedit narratio de patre a filio in pugna Cremonensi interfecto deque acerbis filii post agnitum facinus questibus:

„Advertere proximi, dein plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli exsecratio. Nec eo segnius propinquos adfinis fratres trucidant spoliant; factum esse scelus loquuntur faciuntque”.

Quantum potuit scelus hic ipse commisit sciolus: trucidavit enim orationem Taciteam. Sed nihil facilius quam in vitam eam revocare; abiiciendum est onus, quo opprimitur: „... trucidant spoliant: *scelus loquuntur faciuntque*”. Hoc, ut opinor, Taciteum est.

H. III, 39. Acrem in Iunium Blaesum concipit iram Vitellius imperator, quam L. Vitellius criminationibus suis incendit; tandem:

„trepidanti inter scelus metumque, ne dilata mors maturam perniciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blaesum visendo; quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se pavisse oculos spectata inimici morte iactavit.”

Hic primum dubium non est quin verum viderit Ritterus *vocem* eam non imperatoris sed fratris eius fuisse, ergoque *L. Vitellii* esse legendum: nam si ab ipso imperatore crudelia illa verba pronuntiata fuissent, nil opus fuisset alia argumenta afferre ad demonstrandum credibile esse illius iussu venenum datum: prae illis enim haec admodum infirma videri debebant. Iam quod ad absurdum illud *nobili gaudio* pertinet, pro eo *notabili gaudio* legit Faërnus, coniectura elegantissima, qua tamen mihi locus in integrum restitui non videtur. Etenim istud *notabili gaudio Blaesum videndo* temere deiicientis verba magis est quam eleganter struentis, et, cum alterius fratris verba *gaudium* testantia commemoras, alterum quoque *gaudentem* exhibere legentibus puerile videtur. Suspisor olim scriptum fuisse *ignobili gaudio* — non a Tacito, verum ab aliquo, qui istud *L. Vitellii* legens dictum continere se non posset, quin eum aliqua nota aspergeret: ad *vocem* enim, quae est *pavisse*, adscriptum illud *ignobili gaudio* arbitrator. De imperatore ergo haec dicta restant: „addidit facinori fidem Blaesum visendo,” quae quam egregie in totam conveniant narrationem quivis perspicit, qui ultimorum Agricolae capitum memor est, e quibus haec potissimum affero (c. 43): „Ceterum per omnem valitudinem eius crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat.”

H. III, 41. Vitellium iam prodidit Bassus classis praefectus, iam ab eo defecit Caecina; Valentis milites, quod unicum eius praesidium, neque bello pares erant neque integrae fidei: „pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos.”

Pro absurdo isto *avidos* Faërnus coniecit *pavidos*, rectissime, dummodo et *periculorum* deleamus, quod, cum semel *pavidos* in *avidos* abiisset, a semidocto homine est adscriptum ne vox

illa plane sensu careret. *Pavidos periculorum* ineptae est loquacitatis et in Taciti textu minime ferendae.

H. III, 67. Iam cedere victoribus Vitellius decrevit, hortantibus eum amicis ut ad supremum se accingeret certamen, et ad eiurandum imperium pullo amictu Palatio digreditur. Sed tristem illam narrationem praecedit moestae rei, ad ipsam imperatoris domum pertinentis, commemoratio:

„erat illi et fessa aetate parens; quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii adsecuta nisi luctum et bonam famam.”

Non sine causa haec praemittuntur; mox enim legimus non solum Palatio digressum Vitellium, sed *maesta circum familia*, ergo legentes antea edoctos oportet de matris illius, de qua in praecedentibus pauca sed egregia cognoverunt, sorte. Sed hic in illo *opportuna morte* omnia sunt; illis ipsis diebus eam mortuam esse nunc quis statim intelligit, disertis id etiam verbis referre ingratisimum est. Ergo non cum Io. Muellero *ante* sed totum illud *paucis ante diebus* eiiciendum censeo. Etiam in proxima vicinia locus hic scioli manum est expertus. Sic enim pergitur:

„Quintum decimum kalendas Ianuarias audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu Palatio digreditur.”

Agnoscisne annotationem: „quae se Narniae dediderant”? Non Tacitus se a tam obliviosis lectum iri hominibus exspectavit, quibus opus esset omnia identidem in memoriam revocare.

H. III, 69. Sparso rumore de imperio a Vitellio eiurato, Flavius Sabinus a primoribus civitatis compellitur ut et ipse victoriae famaеque partem capessat. Qui ubi tandem aliquando eorum cessit precibus — ipse enim natura paulo ignavior parumque ad agendum promptus erat — subito cognoscit vulgus et cohortes Germanicas ad extremum pro Vitellio subeundum certamen paratas:

„Longius iam progressus erat, quam ut regredi posset; et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consecrarentur, cunctantem in arma impellebant. Sed quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum.”

Ferri istud *armatis* nequit. Tota de Flavio Sabino narratione in hac re quaestio versatur, utrum arma ab eo pro fratris imperio sumantur an non sumantur, et ex ipsis verbis, quae citavimus, ab iis certe, qui discrimen non detrectarent, arma sumpta cognovimus. Non igitur nos iterum doceri patimur *armatos* fuisse, qui Sabinum comitabantur. Ferre utcunque nominativum *armati* possemus, nisi illam vocem adiectivum *promptissimi* plane redderet supervacuum. Sed confidenter istud *armatis* abiicimus; omnino enim, ut iam dicebam, hae paginae isti annotandi studio obnoxiae fuerunt. Denique haec quoque accedit causa minime levis, quod, sive adiectivi sive substantivi vicem implere vocem *armatis* statuamus, totum illud *descendentibus qui Sabinum comitabantur, armatis* durissimum et vix latinum videtur.

H. IV, 12. Postquam narratum est Batavi unde venerint, cur patriam reliquerint, quo loco consederint, sic pergitur:

„Nec opibus Romanis societate validiorum attriti viros tantum armaque imperio ministrabant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant.”

Hic recte cum Wurmio *ministrabant* pro *ministrant* legitur: enarratur enim condicio, qua ante bellum fuerint Germani. Cetera in integrum nondum restituta videntur. Nam neque quisquam quae ratio intercedat inter *opibus Romanis* et *societate validiorum* videt, neque quomodo omnino *opibus*

Romanis socii possint *attri* (de rei enim familiaris detrimento illud verbum adhibetur) intelligit, neque ordine procedit tota narratio. Etenim, cum sic esset disputandum: „quoniam arma tantummodo et viros (non pecuniam) ministrabant Batavi, non atterebantur”, contrario nunc modo ratiocinatur scriptor: „quoniam non attriti erant, arma tantummodo et viros imperio ministrabant,” quod quam sit absurdum non opus est demonstrare. Rectam emendandi viam Vlietius noster demonstravit, delendo *Romanis*; sed sic quoque quod restat iusto durius est: *societate* enim ablativus, *causae* quae dicitur, erit, at *opibus* ablativus *partis*. Equidem et *opibus* et *Romanis* e margine in textum irrepsisse censeo, e duabus nata annotationibus: ad *validiorum* adscripsit aliquis: „Rom.” (i. e. Romanorum), ad *attriti*: „opibus” (ut significaret ad rem familiarem illud verbum pertinere). Sed restat aliquid quod nondum a quoquam esse observatum miror: ut totus nunc locus bene decurrat, emendatione opus est, qua lenior nulla, si iam emendatio dici potest nova verborum distinctio: illud „viros tantum armaque imperio ministrabant” *in parenthesi*, ut dicitur, est collocandum, ut sua verba ipse explicans inducatur Tacitus. Vide quam bene nunc omnia cohaereant et quam sint perspicua: „Nec societate validiorum attriti — viros tantum armaque imperio ministrabant —, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria e. q. s.”

H. IV, 36. Dum Vocula, qui modo Vetera haud improspere contra Civilis impetum defenderat, cum magna parte copiarum frumentatum abest:

„iterum ¹⁾ Civilis Vetera circumscedit. Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam; mox haut procul Novaesio equestri proelio prospere certavit.”

1) *Iterum*, sic e certa Nipperdei emendatione legendum est pro *interim*. E c. enim 34 extr. liquido apparet in praesentia Civilem castrorum illorum obsidionem omisisse.

Palam est hic vitii latere aliquid; etenim *Romanos* esse, qui hic prospere certasse dicuntur, manifestum fit iis quae sequuntur: „sed miles secundis adversisque perinde in exitum ducum accendebatur.” Neque ullam prae se ferunt veri speciem coniecturae eorum, qui pro *prosperere* proponunt *improsperere*, vel post *mox* „Vocula” aut ante *prosperere* inserunt „Romanus”. Quanto prudentius Urlichsius totum istud: *Civilis capit Geldubam* proscripsit. Sic enim apte tota procedit narratio, et aliquando in margine illud *Civilis capit Geldubam* fuisse annotatum admodum est verisimile. Sic enim sciolus aliquis explicare conatus est, qui factum sit ut primum Geldubam, deinde Novaesium concederet Vocula. Sententiolas autem minutas illas: „Iterum Civilis Vetera circumsevit. Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam” haudquaquam esse orationis Taciteae vel aures admonent.

Eiusdem generis additamentum, sed aliquanto etiam ineptius, deprehendimus c. 67 in narratione de Iulii Sabini Lingonis defectione:

„Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monumentis Caesarem se salutare iubet magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit: Sabinus festinatum temere proelium pari formidine deseruit.”

Potuitne vel elegantius vel magis perspicue significari utri in eo certamine vicerint, utri sint profligati? *Fortuna melioribus adfuit*. Nonne egregie scriptorem Romanum decet illo *melioribus* eos designare, qui a partibus steterint Romanorum, atque sic illos notare infamia qui fidem detrectaverint? Nonne omne enuntiati acumen atque omnis venustas perit, si praeterea vel victores vel victi *suo nomine* indicantur? Iure ergo nostro importunum interpretamentum *fusi Lingones*

facessere hinc iubemus. Ipsa voce se hic magistellus prodit.

H. V, 3. Claram mihi affundere lucem posse videor loco, qui hactenus in densis latuit tenebris. De malis quibus conflictati sunt Iudaei per deserta novam quaerentes sedem et alia et haec narrantur:

„Nihil aeque quam inopia aquae fatigabat; iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit: secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit.”

Hic ego non dubito, quin istud *coniectura herbidi soli* invito Tacito in textum irreperit. Iam ipse sermo fraudis mihi iniicit suspicionem. Coniectura herbidi soli: quis unquam sic locutus est, cum hoc vellet: coniciens herbidum ibi solum esse? Sed fac vocabula ista aliquo modo ferri posse, num narrationis nunc constat ratio? Haud opinor. Veniunt animalia ista e pastu; si *herbis* pasta ea Moyses conicit, ut herbidum illud solum inveniatur *unde* veniant ei est quaerendum, non *quo* abeant. Quid ergo *sequi* ea attinet? Praeterea non *herbam* Iudaei quaerunt sed aquam. Dixeris humidum esse debere solum, ubi herba nasci possit. Respondeo satis esse, si non solis radiis solum exaruerit: id autem ipsa arborum umbra praestare potest: sic ubi herbidum solum est, non statim ibi et *fons* est *fluviusve* e quo bibere homines possint. Sed deletis vocabulis, quae ego notavi, statim omnia fiunt aperta neque ulla restat molestia. Asini illi *pasti* erant: hoc perspicuum erat ex ipso habitu incessuque; utrum herba an carduis foliisque nihil referebat; dummodo pastos eos esse constaret, sitientibus aquae inveniendae viam monstrabant. Satis erat eos sequi, nam nunc locum eos petere, ubi fons esset fluviusque, res ipsa clamabat.

H. V, 15. Romani Batavique loco vadorum pleno confligunt. Quod genus pugnae ibi sit exortum et quam adversum

Romanis facile est conicere. Dabo ipsa verba, quae nunc apud Nipperdeium leguntur:

„Neque, ut in pedestri acie, *comminus* certabatur; sed tamquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem implicabantur.”

Ain vero? Ibine non *comminus* certabatur, ubi homines *implicabantur* inter se? Quidquamne commune est pugnae hominum in mediis aquis natantium eorumque qui ne aqua mergantur omnibus nituntur modis ... et pugnae navali? Nihil vidi magis perturbatum magisque absurdum. Bonum factum quod tamen ipsa textus conditio aliquo modo unde omnes illae turbae natae sint indicat, et cum morbi origine sanandi rationem docet. Traditum enim est non *comminus* sed *comminus minus*, unde Iac. Gronovius *comminus eminus* fecit, in qua lectione, ut statim videbimus, pars veri inest. Nipperdeius abiiciendo *minus* ultro corruptit locum. Sic, ut opinor, Tacitus scripsit:

Neque ut pedestri acie certabatur neque tamquam navali pugna: vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic viribus nitentes e. q. s.”

Ad *pedestri acie* sciolus aliquis annotavit, *comminus*, ad *navali pugna* adscripsit *eminus*; quod e duabus annotationibus natum est *comminus minus* in textum aberravit. Fuit cum putarem vocem *sed*, quae nunc ante *tamquam* legitur, retineri posse et ita transponi ut legeretur: *sed vagi inter undas* sqq. Sed longe praestat *asyndeton* quod dedi. Hoc certum est errare Madvigium pro *illic* coniicientem *illuc*: absurdum enim videtur niti *in illud* quod *occurrat*. Hoc dicit Tacitus: „sicubi pedibus stabile aliquid nacti erant, illum locum obtinere studebant”, non ergo *illuc* sed *illic* nitebantur.

H. V, 17. Stant parati ad proelium, quod toti bello finem

facturum exspectant, Cerealis et Civilis cum suo uterque exercitu, atque milites orationibus monent hortanturque. Civilis Germanos suos et alia docet et:

„Quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias.”

Hic quoque Leopoldio primo suboluit fraus; hactenus per longam saeculorum seriem aequo animo tulerunt viri docti post *campos madentes* commemoratas *paludes*, tamquam si quidquam interesset. Nunc vero, ab illo moniti, posthac sic legemus: „campos madentes et ipsis gnaros, hostibus noxios”, et sibi redditum Tacitum grati agnoscemus.

Ubi dicendī finem fecit Civilis atque:

„sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis ut elicerent lacescentibus.”

Illi male sit qui primus isto *ut elicerent* interiecto elegantissimam periodum (neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis lacescentibus) corruerit et ridicule loquacem nobis Tacitum exhibuerit. Nam quid in hac narratione *lacsendi* verbum, sic nude positum, sibi velit quisvis puer intelligit, neque ad hostium consilium, id agentium ut Romanos *in paludem illiciant*, designandum ullum aliud excogitari poterat verbum ineptius quam ipsum *eliciendi* illud.

XVIII.

AD SEX ANNALIUM LIBROS POSTERIORES ANNOTATIONES VARIAE.

A. XI, 10. Morte Vardanis turbæ inter Parthos de successore eius ortæ sunt:

„Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdatem, prolem Phraatis, obsidio nobis datum. Dein praevaluit Gotarzes; potitusque regiam, per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdatem patrium ad fastigium orabant.”

In voce quæ est *permitti* equidem hæreo; nam sive eam sic accipimus ut sit: *ipsis permitti* i. e. dari, tradi, sive de eo dictum intelligimus, cui aliqua via ire conceditur (*διέναι*), neutra significatio huc quadrat. Quid autem *obside* aliquo fieri amici eius cupere debent? Nempe *remitti* eum. Meherdatis vero amicos postulare ut *ad paternum fastigium* i. e. ad occupandum Parthorum solium *remittatur* ille quam maxime consentaneum est.

A. XI, 33. Comprehensis iam et in vincula coniectis plerisque, qui aliquo modo „matrimonii” Sili Messalinaeque conscii fuerant, tamen nondum in aula Claudii securæ erant mentes, praesertim quia in Geta, praetorii praefecto, haud satis praesidii esse putabatur:

„Ergo Narcissus adsumptis, quibus idem metus, non aliam

spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; seque offert suscepturum.”

Quis imperium militare, quod nunc penes Getam, suspectum hominem, est, ad libertorum aliquem transferet, si consilio Narcissi obtemperabitur? Nempe Claudius. Et cui hoc dat consilium — nam consilium aliquod in verbis eius inesse, non meram opinionem, quis negabit? — Narcissus? Nempe Claudio. Et de *cuius* libertis hic sermo est? Claudii ut opinor. Confidenter ergo pro *Caesaris* repono *Caesari*, qua coniectura simul sermonis consulitur integritati. Nam neque isto *Caesari* carere hic possumus et „non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat” duritiae est non ferendae. „Non est alia incolumitatis spes” sic Claudium Narcissus alloquitur „quam si hoc uno die imperium praetorianorum in libertorum tuorum aliquem transferes.” De *sua* esse sermonem incolumitate sponte, ut opinor, intellexit pavidus princeps.

A. XI, 34. De importunitate uxoris edoctus Claudius, comitibus Vitellio et Largo Caecina in urbem revelitur. In quo itinere Vitellius identidem „o facinus, o scelus” neque quidquam ultra clamabat:

„Instabat quidem Narcissus aperiret ambages, et veri copiam faceret ¹⁾; sed non ideo pervicit, quin suspensa et, quo ducerentur inclinatura responderet, exemploque eius Largus Caecina uteretur.”

Multo rectius hic pro *uteretur* legemus *utebatur*. Solum *Vitellium* ut ambages suas aperiret Narcissus hortabatur: illius enim fuerant exclamationes istae. Deinde aliquid de altero comite Claudii scriptor addit.

1) Recte *aperiret* — *faceret* Madvigius reponi iussit pro *aperire* — *facere*. Quis sit in tali re *aperiendi* verbi usus docere possunt hi loci ex Historiis: L. II, 53 et 78.

A. XII, 64. Portenta et alia referuntur et hoc:

„Suis fetus editus, cui accipitrum ungues inessent.”

Si me audis, *accipitris* leges. An non satis absurdum videtur portentum, nisi aut de pluribus porcellis narretur, aut de uno porcello, qui aliquot accipitrum habuerit ungues?

A. XII, 66. Veneno de medio tollere Claudium Agrippina decernit:

„Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita.”

Verum est Locustam huic sceleri diu fuisse superstitem: Galbae enim imperatoris iussu poenas dedit. Sed quis unquam audivit adverbio *diu* cum participio perfecti iuncto tempus venturum designari? — Ergone hic praeteritum tempus verbis „diu inter instrumenta regni habita” significatur? Hoc pertinaciter nego: *nuper* enim veneficii damnata est Locusta, atque ipso demum, ut opinor, iudicio patuit quam esset nefariae artis perita illa. Hoc ergo narratum esse suspicor a Tacito: ipsam damnationem hunc habuisse effectum ut aulicae veneficae munus Locustae mandaretur. Certe, ubi damnatum aliquem capitali crimine legimus, quid deinde eo factum sit cognoscere iure nostro poscimus. Quod hic desideratur. Ordine tota procedet narratio, si pro *diu* legemus *inde*, aliudve adverbium causam originemque significans.

A. XIII, 1. Inter causas cur Iunio Silano necem moliretur Agrippina erat et

„crebra vulgi fama anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem, nobilem, et quod tunc spectaretur, e Caesaris posteris.”

Ipsum, ut opinor, vulgus, quod Neronis tempore vivebat, scire nequibat aliquando futurum tempus, quo in imperatore

elegendo *non* spectaretur illud, essetne aliquis e Caesaris posteris an non esset. Ineptum ergo illi vulgo tribuere argumentum, quod in isto „quod *tunc* spectaretur” inest. Sed ipse Tacitus, cui ét suum tempus ét praeteritum cognita erant, illud suorum aequalium causa adiecit. Legendum ergo non *spectaretur*, verum *spectabatur*.

A. XIII, 15. Territus matris verbis Britannicum se ad imperium vocaturam minitantis, Nero et alia animo volvit et recentem quandam rem, e qua ingenium eius perspexerat. Quae cuiusmodi fuerit sic narrare Tacitus incipit:

„Festis Saturno diebus inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni.”

Scabrosam hanc orationem appellare non dubito; sed non Taciti culpa talem eam evasisse credo, nescio qua attractione participium illud ad praecedens *aequalium* referentis, sed librarii, quem genitivus ille in errorem induxerit. Ablativo temporis, qui „absolutus” dicitur, opus hic est, non opus est autem addito aliquo nomine substantivo, sed sufficit participium. Legendum ergo *sortientibus*, quod quam facile hic in *sortientium* corrumpi potuerit sponte apparet.

A. XIII, 17. Cum in campo Martio Britannicus sepeliebatur tam vehementes ceciderunt imbres:

„Ut vulgus iram deorum portendi crediderit adversus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant.”

Quam absurde istud *etiam* positum hic sit vel maxime e Nipperdei, qui defendit, apparet annotatione. Iam quod ait *plerique* hic non esse i. q. *οἱ πλείστοι* sed *admodum multos* ea voce significari, verum est. Sed quae addit quam maxime contorta videntur. „Ignoscebant” ait „isti sceleri multi homines, cum tamen homines de aliis hominibus severe iudicare solent; quo magis consentaneum est, deos, quibus nihil est

reconditum ex iis rebus, quae mortalium facta excusant, ad ignoscendum fuisse paratos." Sequitur ergo ut verisimile *non* sit deorum iram istis imbris significatam fuisse. Et revera illud Furneaux Nipperdeii explicationi, quam probat, addit. Sed neque omnino eiusmodi de portentis opiniones, quales hic vulgo tribuuntur, refutare solet Tacitus (est enim et ipse satis *δεισιδαλμων*), et hic vulgi interpretationem iis verbis narrationi suae annectit („adeo turbidis imbris ut") ut appareat minime spernendam ipsi videri. Denique aut legentes labyrinthis includere studet Tacitus, aut deos et homines *inter se opponit*: ut sic hunc accipiamus locum tota eius suadet dispositio: homines huic facinori ignoscebant, non ignovisse deos e tempestate illa efficiebat vulgus . . . idque haud temere." Atque ut illud dicat Tacitus lenissima emendatione effici potest, qua simul efficitur ut duo illius sententiae membra, qua hic opus est, aptissime inter se iungantur. Quae enim hic coniunctio requiritur pro inepto illo *etiam*? Ut opinor; *iam*, atque hanc, praesertim praecedente litera *e*, facile in *etiam* corrumpi potuisse quisque intelligit. „Quod facinus, quemadmodum vulgus haud temere e portentis efficiebat, gravissimam deorum iram provocabat, ei *iam* multi mortales ignoscebant." Aptissime nunc sequitur: „antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes." In deos immortales eiusmodi „aestimationes" non convenire res ipsa loquitur.

A. XIII, 43. Suillius famosus ille imperante Claudio delator tandem aliquando, quia Senecae iram acerbis dictis moverat accusatur, damnatur:

„in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse."

Post mortem Suillii de victu, quem exul egerit, sermones

nullos fuisse opinor, sed potuerunt quaedam de ea re tradere scriptores, quibus auctoribus usus est Tacitus. Fortasse etiam unus et alter, qui publice ad sedes exulum inspiciendas missus erat, de Suillii victu molli nuntium referebat. Ergo aut *fertur . . . toleravisse* legendum est, aut, quod magis etiam placet: *ferebatur . . . tolerare*.

A. XIII, 57. Ignibus, terra editis, tam vehementer Ubiorum vastabatur terra, ut neque in imbris neque in fluviis quidquam esset subsidii:

„donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein resistentibus flammis propius suggesti ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant.”

Si flammae *resistunt*, apparet irritos fuisse conatus lapides iacentium: *resistere* enim est „loco se suo non movere” cf. XIII, 6: „diffugiunt imprudentes: at quibus altior intellectus, resistunt defixi.” Neque opposita inter se sunt *resistere* et *progredi*, sed *resistere* et ea verba, quae „retroversum ire” significant. Et nisi illud ipsum fecissent flammae, ut retroversum irent, nunquam propius accedere potuissent agricolae, sed ardorem vitantes semper eodem mansissent intervallo. Prorsus contrarium ergo hic requiritur quam quod est traditum, legendumque *recedentibus* vel *residentibus*.

A. XIV, 6. Agrippina insidias sibi a filio structas evadit, uno tamen accepto vulnere (nam se pro illa interfici a nautis passa est Acerronia) atque in villam suam infertur;

„illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam . . . observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur; misitque libertum Agerinum e. q. s.”

Hiare huius loci structuram dudum est intellectum; ergo post *intellegerentur* (vel post *esse*) alii alia inseruerunt (pu-

tavit", „vidit", „sensit"). Equidem particulam *que*, verbo quod est *misit* adhaerentem, deleverim et post *intellegerentur* inseruerim *rata*: sic demum sermo Taciteus restitui videtur.

A. XIV, 9. A percussoribus, quos Nero immisit, Agrippina occiditur:

„Cremata est nocte eadem, convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris."

Ad illud *viam Miseni propter* viri docti annotant: *litora Calabriae contra* (III, I) et *cubiculum Caesaris iuxta* (XIII, 15), sed *viam Miseni* non esse nihili locutionem docere neglexerunt. Equidem autem illud non concoquo, sed lenissima repono emendatione: „Miseni viam propter", ut *Miseni* sit locativus.

A. XIV, 11. Mortua Agrippina Nero epistolam ad senatum mittit, qua omnes eius insidias machinationes importunitates, quas ipse iam princeps expertus sit, enumerat:

„Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet?"

Male duae hae sententiae inter se cohaerent, inepto enim vinculo iunctae sunt. An ullus hic coniunctioni *namque* locus? Non opinor: neque enim ratio hic redditur neque praeteritio, quae dicitur, fit. Sed pro *namque* lege *iamque*, egregie procedet oratio. Hoc enim fere dicit Tacitus: „quin etiam ad eam est progressus impudentiam ut naufragium narraret."

A. XIV, 20. Cum Nero ludos quinquennales institueret more Graeco, vehementer eam rem improbabant viri antiquitatis tenaces. Totam rem eo spectare affirmant ut:

„quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe

visatur, degeneretque studiis externis iuventus An iustitiam augeri et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent.”

Totus hic locus in codice vitiosissimus est. Iam egregia emendatione Lipsius *iustitiam augeri* dedit pro absurdo *ius titia augurii*, neque praeterea Madvigiana correctione *auctum iri* opus esse opinor. Tum, recte ut equidem censeo, Seyffertus *expleturas* coniecit pro *expleturos* et ante eam vocem Halmius inseruit *melius*, quod supplementum mihi quidem utique necessarium videtur. Sed nunc ego etiam in isto *perite audissent* haereo. Neque enim significare ea verba possunt: „tamquam callidi de eiusmodi artibus iudices audissent”, neque, si possent, de ea re nunc agitur. Universa tamen loci sententia admodum est perspicua: „meliusne” antiquarii illi rogant „homines ex ordine amplissimo splendidissimoque gravibus suis in republica muneribus fungentur, melioresne eos habebimus iurisconsultos et iudices, si *ineunte aetate* istarum rerum, quas nunc in civitatem introducere studet princeps, participes fuerint?” Nam praesertim de iis rebus hic agi cogitarique, quas *tenera aetas* ludorum illorum occasione faciet spectabitque, vel ex iis, quae citavimus: „degeneretque studiis externis iuventus” quam maxime apparet. Ergo non dubito quin pro *perite* legendum sit *pueri*, qua correctione lenissima tandem aliquando totus locus in integrum restitutus videtur.

A. XIV, 29. Qui hactenus in Britannia praefuerant legionibus haud multum profecerant:

„Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens.”

Britannos, quos Romani imperio suo subiicere etiam conantur, *perduelles* vocare eius est, qui in antiquitatibus Romanis atque adeo in sermone Latino hospes sit. Iure ergo pro *perduellibus* Halmius coniecit *rebellibus*, sed pro laudabili coniectura egregiam exhibuisset emendationem, si pro *domitis perduellibus* scribi iussisset *perdomitis rebellibus*. Postquam, quod facile fieri poterat et saepe factum est, praepositio *per* in alienam aberravit sedem, *perrebellibus* (vel *perreuellibus*) quin in *perduellibus* transiret vix fieri poterat. Cf. XIV, 60, ubi in codice legitur: „Eucaerus, natione Alexandrinus, canere pertybias doctus.” Vulgo editur: „canere tibiis doctus”, quae est emendatio admodum audax. Aut me fallunt omnia aut legendum est: *canere tibiis perdoctus*.

A. XIV, 52. Mortuo Burro certatim qui in republica deteriores erant Senecam criminari incipiunt; arrogantiam impotentiamque eius perstringunt; hoc prae ceteris ei vitio dant quod omnium rerum, quibus delectetur Nero, severum agat censorem:

„Nam oblectamentis principis palam iniquum detrectare vim eius equos regentis, illudere voces (rectius Muretus *vocem*) quotiens caneret. Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur?”

Quamvis fuerint acres hi Senecae vituperatores, tamen credibile non est tantam illos ei obiecissee arrogantiam, ut repertor atque inventor videri vellet omnium bonarum artium, quibus sine famae suae detrimento operam dare posset Nero. Sat grave iam est quod paulo ante Senecae obiiciunt: „eloquentiae laudem uni sibi asciscere et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset”, et quam longum inter hoc crimen et illud *repertae* eloquentiae poesisque sit intervallum quisque videt. Quid quod, si tamen nostro loco eiusmodi voluisset aliquid Tacitus, non praesentis tem-

poris (*reperiri*) usus esset infinitivo sed perfecti. Hisce omnibus perpensis pro *reperiri* legendum censeo *probari*, vel aliud quid in eandem sententiam.

A. XV, 8. Paetus, vanus ille Corbulonis aemulus, quo modo multa agendo nihil egerit, quin etiam in summum discrimen rem adduxerit, his verbis describitur:

„Longinquis itineribus percursando, quae obtineri nequibant, corrupto, qui captus erat, commeatu et instante iam hieme, reduxit exercitum.”

Corrumpendi commeatus nulla, ut opinor, causa fuit; quod si aliquo infortunio factum esset ut ipsum illud frumentum, quod milites, huc illuc a Paeto rapti, praedati erant, corrumperetur, boni scriptoris, erat quae ea fuerit calamitas narrare. Nam unum illud quod ultro citroque currunt milites frumento parum nocet. Quid quod ne *corrupto* quidem frumento opus fuit ut tamen commeatu vacui in castra redirent milites. Longinquis itineribus sat longum tempus insumpserunt milites, itaque quod rapuerant frumentum comederunt ipsi. Lege ergo *consumpto* pro *corrupto*. Sic simul inepti hominis vanitas salsissime perstringitur: „percursando, quae obtineri nequibant, consumpto, qui captus erat, commeatu reduxit exercitum.” Nihil solidi imperio Romano acquisiverat Paetus, et, quod solum rapuerat, frumentum, illud ab ipsis erat consumptum militibus. Vocem autem quae est *consumptus* multis fuisse obnoxiam casibus docet A. XV, 57 (De Epichari crudelissima spernente tormenta narratum est. Quam narrationem sic claudit scriptor):

„Sic primus quaestionis dies contemptus est.”

Ut ineptum illud *contemptus* hic scriberet facile adduci potuit librarius: legebat enim de muliere cruciatus spernente et *contemnente*, et praeterea ante oculos habebat vocem admodum illi *contemptus* similem: *consumptus*, quam optimo

iure Prammerus restituit. Nullae sunt certiores emendationes, quam quibus appareat corruptelae duas has fuisse causas: ét oculorum ét mentis errorem.

A. XV, 10. Stultis consiliis Paetus vim copiarum, quibus praest, ultro infringit, nunquam sibi constat, milites dissipat et ita bello inutiles reddit. Sic et filium uxoremque castello quodam abdit:

„data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno loco habitus vagum hostem promptius sustentavisset.”

Codex in fine sententiae addit etiam particulam *et*. Quam lectionem sic natam arbitror: in exemplo legebatur: *sustenta . . . et* suprascripto lacunae supplemento *visset*, quod librarius ita in textum recepit ut istud *et* retineret. Cf. H. III, 20, ubi in codice ineptissime legitur: et „vineis, machinamenti genus ad expugnandos muros in modum turrium factum is aggredienda urbs.” Recepto enim in textum post syllabas *vine* interpretamento, quod in exemplo inter lineas legebatur, librarius postea vocem, a correctore monitus, supplevit, sed vagam syllabam *is* delere neglexit. Nostro vero loco olim scriptum fuisse suspicor non *sustentavisset*, quod huic narrationi parum aptum, verum *sustentare potuisset*.

Paulo antea in eodem capite haec habemus:

„Adventare Vologaesem magno et infenso agmine auditum. Accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia. Qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset.”

Mire, ne absurde dicam, ipsa *infrequentia* utilis esse potuisse dicitur ad resistendum hostibus. Nam quominus mihi respondeatur illa voce *cohortes infrequentes* designari posse ipsa sententia obstat: in „prodita infrequentia” substantivum *conditionem* copiarum significat, neque ergo adiici potest pronomen

relativum, quod aliam significationem eiusdem substantivi requirit. Quanto melius omisso *qua* legemus: „tamen retineri castra e. q. s.” i. e. tamen, vel sic, quicumque erat status rerum, bene res geri poterat, simodo sibi constitisset Paetus.

A. XV, 16. Castris Romanorum diu obsessis Vologaeses potitur:

„Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent, contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem.”

Vix quemquam esse opinor, cui istud *contraque prodiderit* sanum videatur; coniunctivum hic ferri non posse constat. Quidni legamus „contra quam prodidit Corbulo”? In promptu mihi nunc alii loci Tacitei non sunt, ubi *contra quam* legatur, neque lubet eius rei causa lexica et indices pervolvere. Fac enim nusquam alibi illud inveniri, eane idonea causa est cur ne semel quidem Tacitum usum locutione tam bene Latina tamque pervulgata statuamus, idque eo loco ubi vix ullo alio modo id quod requireretur significari potuerit?

A. XV, 38. Ardente urbe in omnes partes diffugiunt cives:

„Et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant, in eodem casu reperiebant.”

Hic equidem desiderari quiddam censeo. In verbo enim *reperiebant* haud dubie inest significatio τοῦ „cum propius accessissent”: omitti id sine damno poterat quia quivis istud *reperiebant* legens mente erat suppleturus. Ergo *longinqua* habet quod recte ei opponatur (ipsum illud „cum propius accessissent” quod in „reperiebant” inest). Propius autem aggressi locos illos reperiebant „in eodem statu” i. e. ut

opinor „etiam ardentēs”. At nunc in priore sententiæ parte deest aliquid quod isti „etiam ardentēs” recte opponatur, quod nisi aliquo modo est expressum, pronomen *eodem* nil habet quo referatur. Integra erit sententiā, si sic legemus: „etiam quæ longinqua *secura* crediderant, in eodem casu reperiebant.” Neque male pro *secura* ibi *tuta, integra* simm. ponemus, modo hac ratione locum expleamus.

In narratione de eodem incendio porro legitur (A. XV, 40): „Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiæ campus et velut vacuum caelum occurreret. *Necdum post metus aut rediebat lebis . . . rursus grassatus ignis.*”

Haec verborum rudera sunt in codice. Haud dubie recte reposita iam sunt haecce: „necdum posito metu redibat haud levius”, quorum partem praebent „deteriores”, pars a viris doctis est inventa. Tum ego pro *grassatus* legere velim *grassaturus*, ut tota sententiā fiat:

„Necdum posito metu redibat haud levius rursus grassaturus ignis.”

Egregie nunc paucis verbis comprehenditur quod dein fusius enarratur: „minor quidem peribat hominum numerus sed plura aedificia magna deleta sunt.”

A. XV, 55. Indicatus a liberto suo Milicho Scaevinus variis modis singulas res, quibus ab illo in suspicionem adducitur tamquam arcana quaedam et funesta reipublicae molitus, explicare et defendere studet:

„Pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. Enimvero liberales semper epulas struxisse diffideret enim vero vitam amoenam et duris iudiciis parum probatam.”

Verba *diffideret enimvero* inepte repetita dudum expunxerunt editores. A *vitam* novam tum incipiunt sententiam. Sed accusativum cum infinitivo *vitam — probatam* male cum praecedentibus cohaerere recte, ut equidem censeo, nonnulli stauerunt. Sed quod *amasse* vel *egisse* inseruerunt (ante vel post *vitam*) parum probabilis ea emendatio videtur. Multo certe leniore medicina sic locus restituitur in integrum:

„enimvero liberales semper epulas struxisse vita amoena et duris iudicibus parum probata”

ut *vita amoena et . . . probata* sit ablativus absolutus, qua ratio redditur.

A. XV, 59:

„Fuere, qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque militum et populi temptare.”

Dum dubitat Scaevinus. Quid his vocibus significatur? Ut opinor condicio, in qua versatur Scaevinus eo tempore quo Milichus interrogatur paulove postea, certe ante illud tempus quo responsis Natalis, cum ipsius non congruentibus (c. 56), *confiteri* cogitur: nam tum certe *dubitare* desiit. Quod autem ad ipsum illud pertinet tempus, quo a Milicho est indicatus: statim tum ad Neronem est adductus (*raptus per milites* c. 55); hic ita loquitur ut e. c. *effugia quaerere* dici possit, non vero *dubitare*. Quem effectum illa effugia habuerint Tacitus verbis *ut labaret indicium* (c. 55 extr.) perspicue declarat; atque nostro loco rem nobis esse cum eo tempore quod fuit postquam labare indicium coepit et antequam Scaevinus Natalisque diversi interrogati totam coniurationem aperuerunt res ipsa clamat. At in illud tempus *dubitandi* verbum non convenit, neque omnino ullum, quo *facere* aliquid Scaevinus significetur. Ut iam dicebam, requiritur verbum *statum condicionemque* Scaevini indicans. Legendum esse suspicor: „dum dubius

Scaevinus": dum nondum certum erat qualem se praebiturus esset Scaevinus, fortiterne interrogationes atque etiam tormenta toleraturus, an confessurus communemque proditurus causam.

A. XV, 63. De Senecae morte et alia et haec legimus:

„Novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo.”

Istud *eius verbis* cum *edita* iungendum esse monet Nipperdeius, et revera ne potest quidem cum ullo alio iungi verbo, quin plane sit absurdum et cuncta perturbet. Verum quid sibi vult, si iam cum *edita* iunctum est? Plane supervacuum videtur. Annon res ipsa loquitur, quae a „scriptoribus” ex ore Senecae sint excepta, *Senecae verbis* in vulgus edita esse? Quodsi quis tamen addendum eiusmodi aliquid fuisse putat, ut esset quod τῶν *invertere* opponeretur — nonne hic dicendum erat *ipsius verbis*, idque ante *edita* ponendum? His perpensis mihi ne umbra quidem restat dubitationis quin legendum sit: „*meis* verbis invertere supersedeo.” Cf. quod c. 67 Subrii Flavii responso tradito additur: „ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant, nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos”; *ipsa rettuli verba* i. e. „non meis verbis Flavi responsum inverti.”

Statim post illud Flavii responsum adduntur haec (cap. eod.):

„Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat.”

In voce q. e. *faceret* coniunctivus probari nequit: sensus enim est: „nunquam Nero facta sua suo nomine appellari audiebat”; imperfectum tempus parum rectum videtur; nam multo magis hic sermo est de iis rebus quas diu ante Nero perpetravit quam de iis in quibus cum maxime versatur.

Utrique incommodo lenissima subveniri potest correctione. Duarum enim literularum transpositione pro *faceret* legendum arbitror *fecerat*.

A. XVI, 5. Nerone in theatro artes suas exhibente tanta multitudo aderat ut obtererentur haud pauci; praeterea ipso audiendi spectandique labore in gravem morbum multi inciderunt:

„quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coëuntium scrutarentur.”

Quod hic vox q. e. *palam* adiectivi vel participii vice fungitur, in eo molestiae est nihil, sed ferendum non videtur quod coniunctio *ut* annectitur sententiae parti, quae verbo plane caret. Ergo pro *ut* legamus *qui*: cum litera *q* aliquo casu evanisset, quod restaret in *ut* abiisse mirandum non est ¹⁾.

A. XVI, 22. Vehementer in Thraseam invehitur Cossutianus Capito, eumque utique ex civitate tollendum esse senatores docet. Cuius oratio huc fere redit ut demonstret eo iam ventum esse ut otiose inter se confabulantes homines de republica ita loquantur quasi in duo discesserit castra: Neronis et Thraseae. Postquam multa in hanc sententiam declamavit, hoc quoque addit:

„Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit.”

Scio ad istud *non* defendendum e praecedentibus nubem exemplorum excitari posse: principio anni Thrasea *vitat* sollemne iusiurandum; *non* adest nuncupationibus votorum; *nunquam* immolat pro salute aut caelesti voce principis;

1) Imago codicis phototypica legi hic nequit.

triennio *non* introiit curiam; *abfuit* cum Silanus et Vetus condemnabantur; *sine* cura ei est salus Neronis, *sine* honore ars, Poppaeam divam *non* credit. Et tamen mire dictum mihi illud *non fecerit* videtur, quotiesque lego, haereo. Certe admodum exile est vixque ad id significandum, quod requiritur, sufficit. Subintelligendum fere est *denuo*, aliudve vocabulum, quod *non* ita facile mente suppletur. Semper ergo suspicor pro *non* legendam esse vocem, quae fere eosdem literarum habet ductus: „quid Thrasea *novi* fecerit”. Tum quoque praesertim de iis rebus esse cogitandum, quas Thrasea facere sit aspernatus, res ipsa loquitur, sed idem nunc demum recte eleganterque est enuntiatum.

XVI, 24. Thrasea, cui certa iam est parata perniciēs, ad Neronem literas mittit quas ille avide arripit aperitque ratus Thraseam supplicibus precibus veniam rogaturum aliaque, quae priori eius vitae afferrent dedecus, facturum dicturumque:

„Quod ubi non evenit vultumque et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet.”

E splendidissima haud dubie emendatione Rhenani illud *quod ubi non evenit* natum est, nam in codice est *quo dubie non venit*, ita ut ad lectionem suam proferendam ne unam quidem literulam addiderit, dempserit, mutaverit Rhenanus: transposuit tantummodo literas vel aliter distinxit. At quam ego emendationem propono, ea ut una litera eximatur et alio loco una addatur lineola postulat. Legendum enim censeo: „quod ubi non *īvenit* (invenit).” Nam nunc demum recte, et quod ad structuram sententiae et ad verborum pertinet usum, haec annectuntur: „Vultumque et libertatem insontis ultro extimuit”: tantum aberat ut quidquam demissi abiectique inveniret ut extimesceret potius: sic illae literae sermonis libertate ei intrepidum insontis vultum ponebant ante oculos.

Post verbum impersonale *evenit*, quod Rhenani praebet lectio, satis dure illud *extimuit* infertur.

A. XVI, 28. In senatu ergo primum ipsius Neronis recitatur oratio, qua non Thrasea quidem nominatim arguitur, sed alii reprehenduntur senatores quod illius exemplo curiam vitent. Arripit haec Cossutianus Capito vehementemque in ipsum Thraseam habet orationem, qua et alia et haec declamat:

„Require se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret, quid corrigi aut mutari vellet.”

Omnino quid sit *senatorem agere* non admodum perspicuum mihi est, in Thraseae vero causa, cui id ipsum obiicitur quod, quotiescunque senatus habetur, domi suae latet, quid illud sibi velit crimen admirabundus rogo. In errorem inductum librarium, qui toties de senatu senatoribusque legisset, hic quoque *senatorem* scripsisse opinor, cum in exemplo suo haberet vocem, quae ductibus literarum illi admodum similis esset: *censorem*. Hoc est quod tota vita sua loquens tacensque fecerat Thrasea, ut *ageret censorem* civiumque, sed praecipue ipsius principis, facta notaret. Et omnino illud *censorem agere* frequentissimum est crimen in homines severiores. Vide nunc quam eleganti verborum lusu idem ille Capito sic pergens inducatur: „*censeret* quid corrigi aut mutari vellet.”

A. XVI, 35. De ipsa Thraseae morte traduntur haec:

„Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens. . . . Libamus, inquit, Iovi liberatori.”

Ad *porrectis* Nipperdeius annotat: „einem Diener” atque

eodem modo locum accipit Furneaux. At ego „porrigere alicui brachia manusve” quid sit novi, verum „*venas* brachii porrigere” quin sit absurdissimum non dubito. Quid pro *porrectis* legendum sit non definio, credo tamen in — *rectis* latere — *sectis*. Sed utique requiritur verbum eiusmodi ut *effudit* rem significet *consulto* ab ipso Thræsea peractam, quod non fit, si minister aliquis *venas* aperiendi munere functus esse dicitur. Sed hoc gravissimum quod *venas porrigere* nihili est.

XIX.

AD HISTORIAS ANNOTATIONES VARIAE.

H. I, 13. Causarum, cur Othonem adoptare Galba nollet, et hanc fuisse unam se *credere* Tacitus significat, quod parum e republica putaret talem ei relinquere successorem: „credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur.” Haec ipsius Taciti verba sunt. Altera causa, de qua non *credat* aliquid sed comperta se tradere certo sciat, haec est quod Vinii pro Othone artificia Galba perspexerit: „neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia.” Sed et tertia causa quaedam fuit, quae Galbam, senem morosum et adversus rumores pertinacem, impelleret ut sic secum loqueretur: „at ego id ipsum, quod me facturum vaticinantur inepti isti homines, nunquam faciam.” Totum Taciti locum huc pertinentem describam, ita divisum, ut nemo, qui quae hic praemiserim legerit, ullo modo dubitare possit, quin *causae* ibi enumerentur, quae ab Othone mentem Galbae vel abalienaverint vel certe abalienare potuerint:

- a.* Neque erat Galbae ignota Othonis ac Titii Vinii amicitia.
- b.* Et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur.
- c.* Credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur.

De tertia primaque causa nihil est quod annotemus: omnia ibi sunt perspicua. De secunda videamus. Quid illud fuit quod Galbam instigaret ut pertinaciter Othonem adoptare recusaret? Quod vulgi rumoribus Otho et Vinus „gener ac socer destinabantur.” Haec Taciti verba sunt. In familiari otiosorum sermone nihil ista ubertas „gener ac socer” molesti habet. Immo ipsa hominum vita refertur, si quis de populo sic loquens inducitur: „mihi crede, duo isti viri, quos vides, Otho et Vinus, aliquando gener socerque erunt.” At hic istud *gener ac socer* placidae est verborum, quae mirum quantum discrepet a totius loci acuta atque acerba brevitate. Praeterea — atque hoc multo gravius — illud quod homines fabulantur de futura Othonis Vinique affinitate quid habet quod *Galbam* graviter commoveat? An eam fuisse causam credamus, cur sic Galba loqueretur: „si Vinii gener fiet Otho, ego eum filium habere nolo”? Non opinor. Intellexisse Galbam non debere se Vinio aurem praebere Othonis causam defendenti, cupidum enim illum esse patronum satis superque indicatum est verbis „neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia”, parumque Taciteum videtur tot verbis uti ad demonstrandum, quam artum illud amicitiae fuerit vinculum quo Vinus et Otho inter se iuncti essent. Quid ergo erat in illis rumusculis populi, quod *bilem* Galbae moveret? Nam nisi illum effectum rumusculi isti habuissent, non potuissent inde nasci causa cur adoptare Othonem Galba nollet. Sic, ut ego opinor, inter se loquebantur homines: „Othonem istum hominem elegantem venustumque, quem novimus omnes, quem per urbem volitantem videmus, mihi crede, mox videbimus alterius consulis (et principis) filium, alterius generum.” Suspicio ergo Tacitum scripsisse: „*pater ac socer destinabantur*” eoque invito irrepsisse decantatam istam *soceri et generi* commemorationem. Neque fortasse hic negligendum quod, cum res ipsa ferat ut duo vocabula, quae

sic ut *gener* et *socer* unam rem, unam affinitatem, significant, coniunctionibus *que* vel *et* vinciamus, hic „*gener ac socer*” legitur.

H. I, 37. In castris praetoriis Otho ad milites orationem habet, qua iis in memoriam vocat quaecunque Galba ad Italiam accedens ipsamque urbem intrans crudeliter fecit. Ibi et hanc legimus exclamationem:

„Quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata, aut, ut ipse praedicat, emendata et correcta”¹⁾.

Ipse sonus verborum „quae provincia, quae castra *sunt*” habet quod vitium crepet. De sententia videamus. Nonne absurdum est contendere nullam *usquam* esse *provinciam* quam non cruore aspersione Galba? Num credibile illud videri poterat vel ipsis militibus urbanis, quibus hoc certe notum fuerit, e qua provincia in Italiam venisset Galba, et quae ei fuisset pervadenda provincia? Atque ipsa vox *provincia* quid habet quod vehementer animos militum permoveat? Nihil, ut opinor. Sed inspiciamus longam illam scelerum enumerationem, quae hacce exclamatione clauditur: de classiariis agitur, quorum partem Galba trucidavit, partem decimavit, de Fonteio Capitone, Clodio Macro, Nymphidio occisis et quibusdam aliis, sed plerisque copiarum ducibus. Ergo, si duo triave nomina excipimus, tota ista Galbae crudelitas ad solos milites et ad viros, qui militibus praefuerunt, pertinuit. Et, ut opinor, etiamsi praeterea in togatos inermesque provinciales saeviisset Galba, tamen de his tacuisset Otho et sagatos paludatosque commemorasset solos, qui novo imperatori victimae cecidissent. Ceteros haud magnopere praetoriani erant curaturi. Ergo ut Otho dicat aliquid quod terse enuntiatum sit, quod a veritate non nimis recedat, quod

1) In codice est: „quae usquam provincia quae in castris sunt.”

animos militum quam maxime incendat, legendum censeo : „quae usquam *praesidia*, quae castra sunt e. q. s.”.

H. I, 50. Occiso Galba, cum nuntius de Vitellii defectione per urbem percrebrisset, vehementer afflictæ erant omnium mentes :

„Duos omnium mortalium impudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicae, sed vulgus quoque palam maerere.”

Totus loci connexus huiuscemodi est: tempus, quod instabat, civibus multo tristius videbatur non solum quam Galbae illud (cum, licet bellum non esset, tot tamen fierent scelera) sed etiam quam ipsa bellorum civilium aetas: nam tunc, quicumque evasurus esset princeps, hoc tamen constabat fore eum virum qui rempublicam regere posset; at nunc hoc unum sciebant homines „deteriorem fore, qui vicisset.” At nunc ego in voce, quae est *maerere* haereo; non enim, ut opinor, *praesens* malum maeremus, sed *praeteritam* conditionem, praesenti meliorem. Ergo aut Tacitus, cum homines de praesenti tempore cogitantes inducit, iam animo praesumit tempus, quo praesentia praeteritaque inter se comparabunt, ideoque *maerere* posuit ubi quivis alius *indignari* esset positurus, aut, id quod multo verisimilius, pauca quaedam hic exciderunt atque sic explenda lacuna: „sed vulgus quoque <indignari et priora> palam maerere.”

H. I, 58. Imperio ad Vitellium delato protervi milites ducum quorundam sibi invisorum poenam postulant; ante omnes dedi sibi Iulium Bardonem, Germanicae classis praefectum, ad supplicium flagitant: huic enim praesertim vitio dabant Fonteï Capitonis, gratissimi ducis, interitum. At dolo eum militum saevitiae subtrahit Vitellius:

„Interim ut piaculum obicitur centurio Crispinus; sanguine Capitonis se cruentaverat, eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit.”

Punienti sc. Vitellio. At, obsecro, num *punit* miserum centurionem Vitellius? Num ullus omnino *puniendi* verbo locus? An censeamus Tacito *punitum* videri hominem, eo nomine ab iratis militibus necatum, quod Capitonem occidisset? Capito enim quid, iudice Tacito, fecerat? *Haud dubie* in Germania *turbaverat*, non secus ac Macer in Africa (v. c. 7), certe turbare coeptaverat, eumque oppresserant interfecerantque Cornelius Aquinius et Fabius Valens, „antequam iuberentur” quidem (ib.), sed tamen haud dubie rati se sic prospicere quieti et securitati reipublicae. Num qui eiusmodi consilii particeps fuit, cum postea a discordibus militibus, qui aegre illud tulerunt, crudeliter trucidatur, *puniri* vel a militibus, vel a duce, qui non intercedit, dici potest? Haud opinor. Denique quae intercedit ratio inter voces quae sunt *postulantibus* et *punienti*? Et aliqua tamen ratio intercedere debet, nisi credimus Tacitum, non cohaerentia locutum. Quod quoniam credere nolumus, in *punienti* latere vitium nostro iure statuimus. Quod quomodo sit tollendum fere iam diximus, certe elucet e tota disputatione nostra. Milites *postulant* aliquid, dux aut respuit postulata, aut aurem iis praebet. Subtraxerat autem militum minis Burdonem, at Crispinum iis . . . quid? Nempe *permittit*. Hoc est legendum *permittenti*, hoc unice in hunc locum convenit, et ductibus literarum traditae voci *punienti* admodum est simile (*pmittenti*).

H. I, 64. Fabius Valens cum exercitum adversus Othonem in Italiam ducit, in civitate Lingonum inter legionarios et Batavos auxiliares iurgia exarsere eiusmodi ut prope a proelio abesset res. Haec ipsius Taciti verba sunt:

„Iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios,

dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in proelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset.”

Praeter Batavos et legionarios in Valentis exercitu aut nulli fuerunt milites aut admodum pauci (v. c. 59 et 64). Atque hae nunc exercitus partes paene inter se manus conserunt. Quaero qui nobis praeterea hic cogitandi sint *militēs*, quorum „studia aggregantur” rixantibus. Nullos invenio, sed istud *militum* in alius vocabuli locum irrepsisse censeo, puta *civium* vel *municipum*, quae vocabula et ideo magis huc quadrant, quoniam milites potius et ipsos in eiusmodi certamine gladios destringere consentaneum est, at *studia* magis otiose adstantium et pugnae exitum spectantium sunt.

H. I, 83. Praetorianos pro ipsius salute nimis sollicitos et aliis argumentis placat Otho et hoc:

„Imus ad bellum . . . An et illic nocte intempesta rapientur arma? Unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium irrumpet?”¹⁾

Imperator unus est, et ne plures quidem cogitari possunt vel in exercitu vel in republica. Absurde igitur pauci quidam milites in imperatoris *sui* tentorium irrumpere finguntur. At istud *sui* post *tribuni* pone, pulcherrime enuntiata erit tota periodos: „centurionis ac tribuni sui sanguine manus imbuet, imperatoris tentorium irrumpet.” Ipsum illud quod traditum est hanc nobis transpositionem commendat; in codice enim non *tribuni* legitur sed *tribunis*.

1) In codice sic legitur et sic finiuntur versus:

....., tribunis sanguine manus imbuet imperatoris sui
ut facile intelligatur qui factum sit ut *sui* a sede sua aberraret.

H. II, 2. Titus Vespasianus, a patre Romam ad Galbam missus vel officii causa vel spe adoptionis, Corinthi de interitu imperatoris certior factus secum deliberat pergatne Romam an ad patrem redeat; tandem redire decernit, idque haud unam ob causam:

„Fuerunt, qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent; neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus, sed gerendis rebus nullum *ex eo* impedimentum: laetam voluptatibus adulescentiam egit, suo quam patris imperio modestior.”

Immo vero *ex ea*: tum enim demum ita nobis Berenices Titique amores describuntur ut innocuos eos fuisse appareat: nullum Berenice rebus gerendis afferebat impedimentum.

H. II, 3. Postquam quid fama proditum sit de templi Veneris Paphiae conditore enarravit, sic pergit Tacitus:

„Sed scientiam artemque haruspicum accitam et cilicen Tamiram intulisse.”

Ita est in codice. Qui tantummodo *cilicen* in *Cilicem* mutarunt Taciti manum non restituerunt: ferri enim nullo modo istud *et* potest. Sed ne illi quidem, qui eam voculam delent, mihi satisfaciunt: nunc enim una nobis res duabus sententiolis traditur, neque quid sibi ista velit divisio: „sed scientiam artemque haruspicum accitam: Cilicem Tamiram intulisse” quisquam videt. Idem de Puteolani coniectura *e Cilicia* pro *et cilicen* legisse statuendum est. Non enim minus ingrate sententia sic discerpitur: „sed scientiam artemque haruspicum accitam e Cilicia: Tamiram intulisse.” Illa tamen ad veram nos ducit lectionem, ad quam restituendam levissima quaedam sufficit emendatio. Legendum enim est: „Sed scientiam artemque haruspicum *accitum* e Cilicia Tamiram intulisse.” Haud dissimili modo H. IV, 83 a Ptolemaeo primum vir quidam externarum religionum peritus arcessitur; eius deinde

monitis eo res deducitur ut e Ponto nova religio in Aegyptum transferatur.

H. II, 16. Per vim Decumus Pacarius procurator insulam Corsicam, quae hactenus Othoni fidelis manserat, in partes Vitellii traducere tentat. Consilium habet principum, duosque copiarum duces contra dicere ausos interfici iubet:

„Quorum morte exterriti, qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperatorum turba in verba Vitellii iuravere.”

Imperatorum est in codice; nunc plerumque probatur vetusta correctio *imperatorum*. Quam inepte diceretur *ignara imperitorum turba*, quam absurda ea esset atque inanis verborum ubertas sensisse videtur nemo. Fuit cum ad vitandam istam tautologiam pro *ignara* legendum putarem *ignava*, sed longe meliora me unus e commilitonibus docuit, cuius felicissimum inventum libenter hic pono. Is enim *imperatorum* retinendum sed statim post *ignara* ponendum vidit: „ignara imperatorum et alieni metus socia turba.” Insulani isti vix ipsa Othonis Vitellique nomina noverant; certe uter peior esset imperator plane ignorabant ¹⁾.

H. II, 32. Coniunctis Caecinae et Valentis copiis Vitelliani certandi ardent amore; Othoniani utrum statim in discrimen rem adducant an exspectent etiam deliberant. Hoc Suetonius Paulinus suadet: mora exhauriendas hostium vires censet, suum enim exercitum eadem accrescere. Eius verba et alia sunt et haec:

„Paucis diebus quartam decimam legionem *magnam ipsam famam*, Moesicis cum copiis adfore.”

Sic est in codice. Probatur fere Candidi emendatio: *magna ipsam fama*. Perperam, ut opinor. Nihil enim sequitur quod

1) Auctor lepidissimae emendationis A. RUTGERS VAN DER LOEFF lit. hum. cand.

isti *ipsam* vel opponatur vel aliqua ratione cum eo vocabulo cohaereat. Unice verum videtur: *magnam ipsa fama*: sola iam rerum gestarum gloria magnus et nobilis ille erat exercitus. Cf. quod proxime praecedit: „senatumque et populum, nunquam obscura nomina.” Quantum roboris in ipso nomine ac fama inesset probe noverat peritus animorum dux.

H. II, 59. Honoribus afficere Vitellium, qui modo advenit, ét milites Romani ét municipales Lugdunenses certant. Ille: „mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit.”

Perlatum: quo? Per singulosne exercitus manipulos? Facile intelligo gestato iactatoque infanti quiete opus fuisse, libenterque in sinu eum patris obdormivisse. At tunc demum eum Vitellius paludamento induit. Non fuit, ut opinor, in omnibus rebus tam praeposterus et perversus. Et ne de novo satis iam fessi infantis loquar incommodo, nudusne militum manibus perlatus est? Aut susque deque hic omnia habuit Tacitus aut pro *perlatum* legendum est *prolatum*: nempe e tentorio, ubi hactenus apud nutricem aliquam latitavit.

H. II, 60. Narratur quomodo iam victor Vitellius Othonis cognatis amicis adiutoribus usus sit. Ibi et haec leguntur:

„Mario Celso consulatus servatur; sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi voluisset.”

Aut Latine temere vocabula conicere licet, aut nihili est *creditum fama*. Quid sit legendum non definitio, sed in syllaba *cre* esse opinor vel adiectivi, quod est *creber*, vel verbi, quod hinc originem ducit, aliquam formam. Ecquid *crebra fama* omisso *fuit* vel *erat*, quibus verbis hic opus esse non videtur? Cf. H. IV, 12 „crebrescentem cladis Germanicae famam.”

H. II, 63. Apud Flavium Sabinum praefectum urbis Dolabella, qui ab Othone in coloniam Aquinatam erat sepositus, ab amico perfido accusatur quod audita morte Othonis custodiam rupisset, victis partibus se ostentasset, cohortem quandam sollicitasset:

„Nec ullis tantorum criminum probationibus (i. e. cum crimina illa nullo modo probare posset) in paenitentiam versus (accusator) seram veniam post scelus quaerebat. Cunctantem supra tanta re Flavium Sabinum Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne periculo principis famam clementiae adfectaret.”

Deinde legimus Sabinum, hominem ignavum, hoc argumento victum, cum antea Dolabellae parcere voluisset, ultro operam dedisse ut Vitellio imperatori quam maxima eius culpa videretur; nec frustra: iussu enim Vitellii miserum hominem interfectum.

Hic ne omnia a Tacito confusa et τὸ ὕστερον πρότερον propositum statuamus, verborum „seram veniam post scelus quaesivit” hanc esse sententiam sumendum est, eiusmodi crimina, quamvis infirmo niterentur fundamento, tamen illo tempore reo semper certam attulisse perniciem. Multo tamen melius cohaerebunt omnia, multoque melius quid sibi istud *seram* velit intelligemus, si post *cunctantem* inseruerimus *enim* ¹⁾, ut illa coniunctio inde a voce *cunctantem* narrari quomodo totum illud sit peractum negotium indicet (*Enim* Belg.: „namelijk”).

H. II, 64. Egregiam et antiqui moris feminam fuisse Sextiliam Vitellii matrem insigni probatur exemplo. Sequitur:

„Nec ullis postea fortunae illecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit.”

1) In codice inter *cunctantem* et *supra* satis est spatii compendio vocis *enim*, et liturae hic est suspicio.

Parum gratum est verborum *in gaudium evicta δξύμωρον*. Tacitum dedisse opinor *evecta*, quod fere idem est atque *elata*.

H. II, 70. Oculis perlustrat Vitellius campum Bedriacensem, ubi ante quadraginta dies terribile illud fuerat commissum praelium. Quam dirum et atrox ille tum praebuerit spectaculum facunde describitur. Sequitur:

„Nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosaque constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis regium in morem.”

Aliquam viam vel viae partem ipsam *inhumanam* vocare absurdissimum videtur, neque omnino hic de ulla *parte* viae sermo esse potest, siquidem in praecedentibus non de alia quadam viae parte agitur sed de campo vicino. Quapropter lubentissime Leopoldio meo assentior acute, ut solet, pro *pars* proponenti *species*. Non minus quam campi illius foedi atrocisque inhumana erat *viae species*, quam in honorem Vitellii, nequissimi mortalium, ita exornaverant municipes tamquam si magnus aliquis rex accederet.

H. II, 74. Vespasianus, licet eum multi potentesque amici atque adeo ipsi dii immortales ad imperium vocent, haesitat etiam; vix se tanto fastigio parem aestimat, gravemque reformidat casum. Et alia secum deliberat et haec:

„Esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia.”

Claudicare hanc sententiam dudum est intellectum; ergo Lipsius pro *progressum* legi iussit *regressum*, quod certe melius videtur, quam illorum coniecturae, qui „esse progressum regressum” vel „esse progressum esse regressum” vel „esse progressum et regressum” proposuerunt. Nam in privatis

cogitationibus et omnino in statu privato hoc solum est laudandum quod *regredi* liceat; vox *progressus*, sic nude posita, nunquam rem laudandam optandamve significat. Sed Lipsianae coniecturae cum ceteris omnibus commune hoc vitium est quod „prout velint plus minusve” languidissimum est et ubertatis in Tacito certe non tolerandae. Quapropter multo leniorem hanc propono emendationem, qua omnia in ordinem videantur redigi: transposita coniunctione *et* legamus:

„esse privatis cogitationibus progressum prout velint, et plus minusve sumi ex fortuna”: privato homini licet non ultra quam ipse velit progredi, et quantum commodum est a fortuna sumit. At qui semel ad imperium pervenit, nisi semper plus sibi acquirit, certa ei instat pernicies.

H. II, 76. In allocutione, qua Vespasianum ad imperium vocat, Mucianus de Vitellio cum maximo loquitur contemptu. „Iam Othonem” ait

„desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat.”

Apage ineptias et *novo* lege.

H. II, 82. De bello quod a Vespasiano Mucianoque paratur et alia et haec legimus:

„Ipse Vespasianus adire hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius quam coërcere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans.”

Coërcere et *incitare* diversissima sunt et tantum non inter se contraria, cum tamen hic verba requiruntur, quae colore quidem differunt sed idem consilium, eundemque effectum significant. Atqui incitamus segnes, sed coërcemus — quos? Nempe insano ardore abreptos, lascivientes, eos denique qui huc illuc volitantes communem laborem impediunt magis

quam adiuvant. Segnes vero quid? Vi, minis, poena ... *cogimus*, nisi admonitionibus nostris aurem praebent. Ergo pro *coërcere* hic *cogere* lege. Boni imperatoris est exemplo incitare segnes, aut, si in exemplo praesidii parum est, *cogere*, quod sic absolute positum egregie cum illo „exemplo incitare” coniungitur ad totam Vespasiani rationem depingendam.

H. II, 87. Foedum istud agmen, quo Vitellius urbem petit, et aliis et his describitur verbis:

„Sexaginta milia armatorum sequebantur, licentia corrupta; calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis.”

Vera huius loci cognita lectione — nam si ullus, hic certissima est emendatione restitutus — doctas ridebis annotationes, qualis est haec apud Orellium:

„Lixas liberos homines fuisse, rite colligas ex Ann. II, 62 (citatur locus). At lixae quoque, ut hic vides, mancipiis ob vilem quaestum ac mores procaces aequiparabantur.” Verum, o bone, si sanus hic locus, non *aequiparantur* mancipiis lixae, sed plane iis adnumerantur, tamquam si de servili eorum statu nulla unquam inter homines fuerit dubitatio. Et si procacitate morum semper vilissimis sunt pares mancipiis, nulla est in Vitellio culpa, si non modestioribus iis usus est ministris. Vides e tradita lectione nullum, nedum aptum, sensum ullo modo extrahi posse, sed lenissima emendatione revocatur id quod unice in hunc locum conveniat, id quod ipsum Vitellianum agmen legentibus ponat ante oculos, id denique quod quin a Tacito scriptum sit posthac iam nemo sit dubitaturus. Pro *etiam inter servos* legendum est *etiam inter severos* ¹⁾. En ipsa nobis reddita Taciti manus! Etiam in severo modesteque habito exercitu procaces lixae sunt;

¹⁾ Praestantissimam emendationem acceptam refero Leopoldio meo quem toties iam, ut par erat, laudavi.

quam lascivos eos fuisse credamus in Vitelliana turba ista! Vide quam egregie nunc, in eundem sensum, haec addantur: „tot legatorum amicorumque comitatus, inhabilis ad parendum, *etiamsi summa modestia regeretur.*” Idem est exercitus *modestus et severus*. Adverbium *severe* de militibus adhibitum legitur A. IV, 2 (cur Tiberius cohortes urbanas in una castra contraxerit traditur): „Praetendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis illecebris.”

Opponuntur inter se *lascivire et severe agere*.

H. II, 88. Vixdum urbem intraverant saevi isti ferique Vitellii milites et iam proelia fiunt caedesque civium:

„cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent.”

Non duae res hic inter se *opponuntur*: altera enim ex altera necessario sequitur. Cum barbari turbam populi parum vitarent, fieri non poterat quin identidem alicui civi impingerentur. Accedebat alia procidendi causa: viae lubricum. Pro *aut ergo et* legendum censeo.

H. II, 99. Nefaria prodicione a Vitellio ad Flavianos deficit Caecina:

„Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis; simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet.”

Mire conformata est haec sententia! Primum ista subita ad passivum verbum transitione (*admonebatur*) neque perspicuitati neque elegantiae consulitur. Quis enim Caecinam admonet?

Nempe idem Rubrius Gallus, de quo in praecedentibus sermo est. Sed hoc durius quod *admonendi* verbum hic primum: „in memoriam revocare” significat, deinde „adhortari”. Utrique malo medeberis, si excidisse paucas literulas statues, Tacitumque pro *admonebatur* scripsisse: *admonens hortabatur*.

H. III, 2. In exercitu Flaviano sunt qui morandum censeant et Muciani exspectandum exercitum. At Antonius Primus, vir acerrimus moraeque impatiens, festinandum esse clamat et celeri impetu opprimendos hostes. Eius verba et alia et haec traduntur:

„Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero.”

Inepte bis idem hic dici (quid enim inter *suasorem* et *auctorem* interest?) dudum est intellectum. En iterum Leopoldii mei ingenium elucet! Vulgo enim probatur Iacobi correctio „*suasor actorque*”. At vide quanto ét elegancia ét probabilitate illius praestet emendatio: „*auctor actorque*”. Cum explicandi causa *suasor* fuisset suprascriptum, vocabulorum tam inter se similibus alterum illa annotatione e textu expulsum est ¹⁾.

H. III, 41. Fabius Valens Vitelliani exercitus dux cum paucis cohortibus in Etruriam venit, ubi cognito Cremonensis proelii exitu consilium arripit, quod, si maturasset, funestum reipublicae esse potuisset, nempe ut:

„arreptis navibus in quamcunque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret.”

Quam multa hic enumerantur, vel potius balbo ore effunduntur. De quibusnam hic *exercitibus* cogitandum est? Ipse contextus nobis Galliarum nescio quos exercitus obtrudit. Et Germaniae *gentibus* quid hic faciamus? Fingamusne Valentem

1) Illud *auctor actorque* legitur et apud Nepotem, Att. 3.

novum Cimbrorum Teutonumque bellum Romanis excitare studentem? Lege, ut omnia recte procedant et aliquam habeant veri speciem: „Gallias et exercitus Germaniae novumque bellum cieret.” Hoc homini strenuo nec tamen insano in mentem venire potest: ut ad rebellandum adducat Gallos, si non omnes at aliquas nationes, et a Rheno copias in Italiam alliciat: sic novum atroxque bellum existet.

H. III, 46. Daci, ardente in Italia bello, abducto e Moesia exercitu:

„expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur, iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi irrupissent.”

Hic ego cum Vürtheimio meo facere paratus sum, pro *gnarus* coniciienti *ignarus*: apud Cremonam vicisse suos ignorabat etiam Mucianus, quo magis illud a Dacis imminens periculum, utpote in re ancipiti, metuebat. Non quin et nuntius de felici illius pugnae exitu Mucianum eo adducere potuerit ut Dacis obviam iret: sciebat enim nullam nunc causam esse cur cum copiis suis in Italiam properaret, hoste ibi a praesenti exercitu Flaviano iam profligato. Sed pro „certior factus de Cremonensi victoria” Latine vix dici posse videtur: „Cremonensis victoriae gnarus.”

H. III, 50. „(Flaviani) exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant et teneri praesidiis Apenninum rebantur; et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant, clavarium (donativi nomen est) flagitantium.”

Quid sibi hic ista vox *ipsos* velit dicat qui sciat. An *duces*

ea significari putemus? At tota haec deliberatio ducum est, non universi, ut opinor, exercitus. Verum lege *ipsa*, omnia sana integraque erunt: tum enim *ipsa regio*, i. e. regio in qua cum maxime sedent, opponetur Italiae et Appennino, ubi graviora etiam sibi impendere pericula suspicantur.

H. III, 56. Romam revertitur Vitellius, de sua causa desperans, otioseque ibi desidet, cum tamen peritissimi centurionum fortiter agendo totam rem restitui posse clamarent, idque etiam ipsum Vitellium docere gestirent:

Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus ut aspera, quae utilia, nec quicquam nisi iucundum et laesurum acciperet."

Pro *aspera*, quod haud dubie corruptum (nihil enim habet quo referatur), vulgo recipitur Bipontinorum correctio *aspere*. At nunc in altero sententiae membro: „nec quicquam — acciperet” mente nobis, id quod admodum durum, suppleendum est *lubenter* aliudve adverbium in hanc sententiam. Lacunosus locus est, sed paucae tantum exciderunt literulae. Scripsit enim Tacitus: „ut *aspernaretur* quae utilia” ¹⁾. Egregie inter se *aspernandi* et *accipiendi* verba opponuntur.

H. III, 61. Postquam narravit de praesidio quodam Vitelliano, quod turpiter se hostibus dedit, de Vitellianorum militum moribus in universum sic disputat Tacitus:

„Nec apud Vitellianos flagitii poena, et praemiis defectorum verba fides.”

Pro absurdo *verba* Freinshemius olim *versa* legit, atque

1) Idem post me, neque tamen a me admonitus, invenit et in thesibus adiunctis dissertationi *de ludis Eleusiniis* publici iuris fecit v. d. A. Rutgers van der Loeff. Eadem res usu venit coniecturis propositis ad H. III, 63 (e victricibus legionibus cohortes) et ad H. II, 74 (progressum prout velint et plus minusve).

ea coniectura nunc plerumque probatur. At ego, ut iam concedam *versa fides* recte dici sive pro eo quod est *subversa fides* sive ad significandum animos militum Vitellianorum se convertisse ad Vespasianum, quid nunc istud „apud Vitellianos” sibi velit rogo. Nulla enim hic fit oppositio, sed et *impunitas* illa et *subversa* illa vel *conversa fides* in *Vitellianis* castris suam sibi sedem habent. Pulcherrimam vero sententiam, cuius membra egregie inter se opponantur, obtinemus pro *verba* legendo non *versa* sed correctione non minus leni, fortasse leniori: *certa*: quamdiu apud Vitellium manebat miles, impune quodvis flagitium committere poterat (et *flagitium* in re militari quid esset diximus pag. 66 sq.); simulatque transibat ad Vespasianum certum ei paratum erat praemium. Vitellianus ergo miles male se gerendo, ut nos loquimur, „amittere poterat nihil lucrari multa.” „Ac reliquum perfidiae certamen” Tacitus addit, i. e. certabant ergo inter se quis non servando sacramento suo maximum esset facturus lucrum.

H. III, 63. Transituri ergo in partes Vitelliani milites sub signis vexillisque in campos Narniae subiectos descendunt, ubi densis ordinibus stant Flaviani:

„Accepti in medium Vitelliani et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur. Pars Narniae, pars Interamnae subsistere iussi; relictæ simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validæ.”

Haud dubie *legiones* corruptum est; non enim magnus erat ille custodum numerus, siquidem disertis docemur verbis *sufficere* eos, nihil amplius, ad dediticios, si opus erat, continendos. Et ipsorum Vitellianorum, qui in partes transierant, c. 67 legimus fuisse *unam* legionem et aliquot cohortes. Hos *pluribus* legionibus custodire velle absurdum est. Legendum censeo: „relictæ simul e victricibus *legionibus*

cohortes": literulae a nobis suppletæ facile excidere poterunt.

H. III, 66. „Vitellius ipse” sic fere Tacitus loquitur „sine ullo certamine Vespasiano cessit: o utinam eadem fuisset omnium Vitellianorum mens, quanta hominum strages evitata fuisset! At non ea fuit populi Romani felicitas.” Sequuntur hæc ipsius verba:

„Ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos; ita periculum ex misericordia.”

Misericordia hic qualis sit intelligenda apparet e c. 58: „plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur.” Cogitandum ergo est de *Vitellianis*, quos imperii Vitelliani deiecti misereat, quique ergo iacere illud non sint passuri sed erigere conaturi („ne victos quidem laturos”). Nostro autem loco inde a voce *ita* exspectamus *conclusionem* quandam eorum quæ præcedunt: ea autem bipartito sunt divisa: agitur enim et de Vespasiano victore et de victis. At sequitur aliquid quod, ut vidimus, ad solos *Vitellianos* pertineat: periculum ex misericordia: principatus collapsi misericordia Vitellianos eo adducet ut denuo Vitellium ad principem locum reducere conentur, atque sic ille iterum vitæ adibit periculum. Excidisse ergo, nam in isto „ita periculum ex misericordia” desideratur aliquid quod ad *Flavianos* pertineat, quaedam censeo, et lacunam sic suppleo: „ita periculum ét e metu ét e misericordia”: Vespasianus metu ductus Vitellium occidendum curabit, Vitelliani misericordia moti eundem in vitæ adducent discrimen.

H. III, 72. De Capitolii incendio hæc Tacitus exclamat: „Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissi-

mumque reipublicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi.”

Rectene *principes* opponuntur Porsennae Gallisque, externis hostibus? Non opinor; sed ut dicat aliquid Tacitus quod bene cohaereat, pro *principum* legendum est *civium*. Totum istud *principum* arrogantis magistelli est annotatio, qui ipsum Tacitum corrigere vellet. Ipsorum autem principum in Capitolii incendio nullae partes fuerunt; unica atrocissimae rei causa erat furor populi.

H. III, 83. Pugnantibus in campo Martio Vitellianis Flavianisque aderat vulgus haud alio animo quam si gladiatorum ederetur spectaculum; protrahebantur a spectantibus qui in aliquas confugerant latebras, spoliis potiebatur populus. Hinc in eadem urbe simul cruenta caedes erat et insana laetitia. His eam rem describit verbis Tacitus:

„Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes.”

Hic vocem q. e. *simul* Nipperdeius inclusit, et potest ea sine sententiae damno omitti: neque tamen sic multo evadit illa elegantior. Remanet enim, quae mihi quidem multo molestior, incredibilis quaedam *hominum* et *locorum* confusio. Leni transpositione sic Taciti manum restituendam arbitror:

„Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi scorta et scortis similes; simul cruor et strues corporum, iuxta balineae popinaeque.”

Nunc *simul* haud inepte principalibus inter se iungendis sententiae membris inservit.

H. III, 84. Misera Vitellii fuga egregie depingitur:

„Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebra vitavisset, Tarra-
cinam ad cohortes fratremque perfugeret; dein mobilitate ingenii, et quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci; temptat clausa, inhorrescit vacuis.”

Leviusculum fortasse videbitur quod dicam; proponam tamen emendationem, ut ego censeo, plane necessariam. Pro *terret* legendum est *terrent*: etenim statim audientium recitantium-
que aures sentire debent aliud esse *temptandi*, aliud *terrendi* verbi subiectum. Sic primum ante mentem surgit locorum imago et continuo post ipse princeps miserrimus.

H. IV, 12. Batavorum conditio minime infelix describitur.

„Erant” ait Tacitus:

„nec opibus Romanis societate validiorum attriti viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria.”

Pro *ministrant* Wurmium recte dedit *ministrabant*. Quae praecedunt nondum ita sunt correctae ut sincera lectio restituta videri possit. Agricola voci q. e. *societate* adiecit particulam *ve*, Vlietius *Romanis* inclusit, quorum neutrum sufficit. Quis enim iste est enuntiatorum ordo, quo Batavi prius dicantur „opibus non attriti esse” deinde „viros tantum armaque imperio ministrasse”, tamquam si illa res praecesserit, haec sit secuta, et non haec illius fuerit causa? Tamen post Wurmium Vlietiumque non multum agendum restat: illorum enim receptis emendationibus verba „viros tantum armaque imperio ministrabant” pono in parenthesi, ut aiunt, ut sua ipse verba illustrans Tacitus inducatur:

„nec opibus societate validiorum attriti (viros tantum armaque imperio ministrabant) diu Germanicis bellis exerciti e. q. s.”

Nam quod *opibus* est ablativus q. d. partis, *societate* ablativus causae in Tacito fortasse ferri debet potestque. An *opibus* quoque delendum? Carere certe eo vocabulo possumus.

De Batavis eodem capite et haec leguntur:

„Erant et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere.”

Pro *erant* recte plerumque editur *erat*, deinde in fine loci, ut infinitivi constaret ratio, alii *suetus*, alii *solitus*, alii *exercitus*, alii denique *doctus* adiecerunt, quorum nihil est quod non praestet illorum conatibus, qui ex *erant* fecerunt: *suerat*, *adsuerat*, *insuerat* simm. Admodum languida tamen omnia illa sunt additamenta. Equidem sic legendum censeo:

„Erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio *ut* arma equosque retinens integris turmis Rhenum *perrumperet*.”

Ut = sic ut, tanto studio ut.

H. IV, 34. Civilis obsidione clausos Romanos tenens ostentandis vexillis signisque captis eos ut castra dedant adigere conatur. Frustra: unus enim e captivis clara voce eos edocet eum esse Germanorum statum ut Romanis minime sit desperandum. Addunt etiam animos ignes villarum, appropinquantis subsidii signum. Alacres ergo proelium milites Romani poscunt:

„Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique proelium sumpserunt. Nam Civilis aderat, non minus vitiis quam virtute suorum fretus.”

Nam; cuius ergo rei hic ratio redditur? Nullius ut opinor: pergit tantummodo narratio. Ergo pro *nam* legendum est *iam* vel, quod praestat etiam, *iamque*.

H. IV, 49. Postquam exposuit qui factum sit ut in provincia Africa praeter proconsulem adesset legatus cum legione, seque ignorare declaravit quomodo res novae, de quibus cum maxime narrat, in ea provincia ortae sint: sollicitaveritne Pisonem proconsulem Festus legatus an legatum proconsul, sic pergit Tacitus:

„Nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suscepto tutius bellum.”

Haud dubie corruptum *suscepto*, sed quod coniecit Victorius probantque plerique editores *suspecto*, eo vitium non persanatur. Nihil enim nunc comparativus *tutius* quo referatur habet. Legendum censeo: „pace suspecta tutius bellum” i. e. apertum bellum praestat paci, in qua semper tacitis sis suspicionibus obnoxius. Tali revera pace Africam provinciam usam esse ex iis, quae citavimus, apparet, eleganterque illa *suspecta pax* appellatur.

H. IV, 80. Orta inter Mucianum Primumque Antonium discordia, ad Vespasianum hic proficiscitur. Dubius inter utrumque haeret princeps: quae sint Antonii de sua causa merita probe novit, sed eundem ut tumidum et vix ferendum notant ét Muciani epistolae ét ceterorum sermones:

„Neque ipse (Antonius) deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset.”

Haud dubie ante *vocare* excidit *p* (pro). Nam quos locos Heraeus ad simplex *vocandi* verbum defendendum affert, in iis praesidii nihil est: ibi enim non *res* aliqua sed *homo* obiectum est: H. V, 25: „si populum Romanum armis vocent”, H. II, 81 „singulos nomine ciens praemiis vocans” (atque hic totum illud *praemiis vocans* delendum esse supra demonstravi); Germ. 14: „vocare hostem et vulnera mereri”. Quod

praeterea affertur Ann. VI, 40, in numero alterutro vitium typhothetae latere videtur.

H. V, 4. De moribus Iudaeorum et alia et haec traduntur:

„Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur” ¹⁾).

Non repugno quominus vocabula q. s. *raptarum frugum* sic interpretemur ut iis significetur quondam Iudaeos fruges sicut eas de agro rapuerant comedisse, nec facta inde farina, nec coctis illis aliove modo subactis. Verum ipsius rei mentio in praecedentibus facta esse debebat; at est de ea altum silentium, nec minus de longa illa fame. Quapropter non sine causa suspicor e c. praecedenti excidisse quaedam; atque exstat ibi locus haud dubie lacunosus. Postquam enim narratum est, qua allocutione Moyses solatus sit vulgus vastis relictum locis, haec sequuntur:

„Assensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aequae quam inopia aquae fatigabat.”

De aliis aerumnis iam locutum esse Tacitum, cum illud *sed nihil* e. q. s. poneret, mihi quidem constat.

Praeterea pro *detinetur* nostro loco *retinetur* legendum est: *retinentur* enim eae res, quibus pristinae rei servatur memoria.

H. V, 5. Iudaeorum religio quantum differat ab Aegyptiorum vel maxime hinc apparet:

„Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et aeternum neque imitabile neque interitum.”

1) In imagine codicis phototypica legi nequit hic locus.

Nullo modo haec cohaerent: confusaque et perturbata omnia. Sed adest Leopoldius meus, lenissima transpositione locum sanans:

„Iudaei mente sola unúmque numen intellegunt; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum; profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant.”

An forte totum illud „summum — interiturum” Christiani hominis est annotatio?

H. V, 14. Ad pugnam stant parati Civilis et Cerealis cum suis copiis:

„Neuter ducum cunctator; sed arcebat latitudo camporum suoapte ingenio umentium: addiderat (Civilis) obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur.”

Perspicua haec et optime decurrentia. Sed quam languide, quam pueriliter nunc sic pergitur:

„ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa.”

Non fero istud „ea loci forma”. Quodsi pro *ea* legeretur e. c. *ergo* et virgula post *forma* deleteretur, bene locus cohaereret. Sequuntur enim post *adversa* etiam haec:

„Quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit.”

H. V, 16. Et aliis argumentis Cerealis milites ut bono sint animo admonet et hoc:

„Pauciores nuper cum pluribus certasse et tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit: superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant.”

Lacera haec; vocabulis *fusos Germanos* in universum victoria Romanorum, clades hostium significatur; praeterea de

altera tantum horum *parte* aliquid additur, ignavos fuga salutem quaesiisse, sed etiam de altera parte, de fortioribus inter Germanos, edocendi sumus. Habebimus hoc, si post *Germanos* plenam distinctionem posuerimus, et post *fuerit* inseruerimus *cecidisse* aliumve infinitivum in eandem sententiam: et tamen fusos Germanos: quod roboris fuerit, *cecidisse*, superesse qui e. q. s." En brevissimo spatio tria vocabula ommissa: nam paenultima proximi capitis linea iure Nipperdeius *properabat* addidit, itemque tribus ante nostrum locum lineis *memorabat*.

Ubi dicendi finem fecit Cerealis:

„alacrior omnium clamor.”

Nullus hic comparativo locus. Rectissime Nipperdeius *alacris* restituit: suprascriptae literae *er* has turbas dederunt.

XX.

AD PLUTARCHI VITAS GALBAE ET OTHONIS.

Quoniam nemo eorum qui Tacito dant operam non frequenter Plutarchi vitas Galbae et Othonis inspicit, cum cetera quae ad illum scriptorem annotata mihi iacent in scriniis identidem paginarum explendarum causa Mnemosynae insero, meas ad illas vitas annotationes uno capite comprehensas hic proponere praestare videtur. Primum enim admodum magnus earum est numerus: haud mirum, siquidem nullam Plutarchi partem saepius diligentiusque legi; sponte me eo studia mea Tacitea trahebant retrahebantque. Deinde multae ex illis casu nescioquo arte inter se cohaerent. Postremo omnes aliquo modo huic libro cognatas esse vix dicere opus est.

Galba 1 (Sint.) Res quae post Neronem occisum Romanae reipublicae evenerunt documento sunt τοῦ μηδὲν εἶναι φοβερώτερον ἀπαιδευτοῖς χρωμένης καὶ ἀλόγοις ὀρμαῖς ἐν ἡγεμονίᾳ στρατιωτικῆς δυνάμεως. Cetera omnia egregia sunt, sed illud ἐν ἡγεμονίᾳ absurdum, praesertim hoc capite, ubi perpetua est *ducum* et *militum* oppositio: στρατιώτας ἡγουμένους et στρατιωτικὴν δύναμιν ἐν ἡγεμονίᾳ οὕσῃ nemo mortalium vidit unquam. Una litura vocabula ista dele, totum locum persanaveris. In margine annotasse aliquem ad φοβερώτερον suspicor ἡγεμονίᾳ, Plutarchi mente bene perspecta, nam exercitus discors et turbulentus prae ceteris metuendus est *imperio*, i. e. imperatoribus. Atque hoc bene cum tota vicinia concinit,

praesertim cum praecedentibus ubi auctore Platone demonstratur ne in optimo quidem duce quidquam esse praesidii, nisi etiam milites ei sua sibi sint imbuti philosophia. Iusto audacior, sat scio, haec emendandi ratio multis videbitur. Fulciam ergo hanc coniecturam sat longa locorum serie, qui documento sint communem codicum nostorum fontem hac certe parte mirum quam saepe corruptum esse annotationibus in textum receptis iisque plerumque aliena collocatis sede.

Galba IV Galba a Nerone in Hispaniam cum imperio mittitur: ἐπεὶ δὲ τῶν ἀλιτηρίων ἐπιτρόπων ὡμῶς καὶ ἀγρίως τὰς ἐπαρχίας ἐκείνων διαφορούντων ἄλλο μὲν εἶχεν οὐδὲν βοηθεῖν, sed tamen solatii aliquid provincialibus praebebat ostendens cordi sibi esse illorum miserias, seque eorum vicem dolere. Nullum hic coniunctioni ἐπεὶ locum esse, sed totum sententiae decursum ea perturbari primus mortalium perspexit Sintenisius et ἐκεῖ reposuit. Rectissime. Hoc minus recte quod Reiskium secutus pro ἐκείνων dedit ἐκείνω. Quanto melius totam vocem expunxisset: „ubi cum procuratores crudeliter provincias lace-arent, opem quidem ferre provincialibus non poterat”. Hoc satis est, et quidquid praeterea additur maculae instar est. Unde autem istud ἐκείνων natum? Ad ἐπεὶ aliquis *emendationem* ἐκεῖ adscripsit, quae in alienum textus locum illata ad subsequens vocabulum utcunque est accommodata.

Galba XIII Nymphidius Sabinus cum praetorianorum duces consilia ipsius adiuvare nollent, ipse per se viam sibi ad principatum coepit munire. Ne faceret monebat (ἀπηγέρουε) Clodius Celsus Antiochensis, vir prudens dicendo sibi ne unam quidem in urbe insulam videri Nymphidium Caesarem esse salutaturam: ἀλλὰ πολλοὶ κατεγέλων καὶ Μιθριδάτης ὁ Ποντικὸς ἐπισκώπτων τὴν Φαλακρότητα τοῦ Γάλβα nunc apud Romanos eum dicebat in aliquo esse pretio, sed simulatque in eorum venisset conspectum, fore ut dierum illorum, per quos Caesar dictus esset, videretur opprobrium.

Quae, obsecro, est ista oppositio: Clodius Celsus ἀπηγόρευε sed multi κατεγέλων? Quis homo sobrius unquam sic est locutus? Et illi multi quem tandem deridebant? Nymphidiumne? Cur? An quod dubitaret etiam? Et haecine causa erat cur tandem se imperatorem proclamari Nymphidius pateretur? An cum Mithridate ceteri omnes unum Galbam deridebant? Sed sic quoque aliquem fuisse illius risus effectum disertis verbis significatum oportuit. Denique ut ét verbo ἀπηγόρευε aliud verbum respondeat ét tota narratio sibi constet et satis sit perspicua, opus est κατεγέλων istud verbo alicui cedat quod *adhortari* vel *incitare* significet, sive παρώρων illud est, sive aliquod ei synonymum. Ad subsequens ἐπισκώπτων aliquis annotaverat καταγελῶν, idque, in κατεγέλων mutatum, sede sua expulit verbum legitimum.

Galba XVI Galba cum Neronianis largitionibus finem faceret, interdum nonnullis sordidus videbatur. Affertur hoc exemplum. Cum Canus, tibicen clarissimus, cenanti imperatori cecinisset, ἐπαιέσας καὶ ἀποδεξάμενος ἐκέλευσεν αὐτῷ κομισθῆναι τὸ γλωσσόκομον· καὶ λαβὼν χρυσοῦς τινὰς ἐπέδωκε κτῆ. Nota res est verbum ἀποδέχεσθαι *probandi* interdum sensu poni, sed ἐπαιέσας καὶ ἀποδεξάμενος nimis est ingratum et languidum. Totum istud καὶ ἀποδεξάμενος e margine in superiorem textus lineam aberravit: est enim participii λαβῶν interpretamentum.

Otho III Senatores apud ipsum epulantes, quos ad exitium praetoriani exposcebant, Otho καθ' ἑτέρας θύρας ἀφῆκε· καὶ μικρὸν ἔφθησαν ὑπεκφυγόντες διὰ τῶν μισθοφόρων ὄθουμένων εἰς τὸν ἀνδρῶνα. Per ipsos irruentes neque poterant senatores illi evadere (certe admodum difficile illud erat), neque opus erat conari: elabuntur enim foribus quibusdam vel sinistris vel dextris vel denique adversis, per quas eos dimisit Otho. Naberus post διὰ excidisse putat aliquod nomen, quo fores (principales) fuerint significatae, quoniam Tacitus habet:

„militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus” (H. I, 82). Equidem Plutarchi manum restitui posse arbitror exempta praepositione *διά*, quam aut adscripserit aliquis qui hunc locum non intelligeret, aut qui praecedentem praepositionem *κατά* illustrare vellet, aut denique cui totum illud *καθ' ἑτέρας θύρας* emendationem requirere videretur: quod si voluit, equidem vehementer consilium eius probo, nam mihi quoque ferendus non videtur pluralis iste *θύρας*. Hoc ergo mihi prae ceteris verisimile videtur, emendandi hic deprehendi conamen; quo si recte usi erimus, quodcunque apud Tacitum habemus etiam habebimus apud Plutarchum (in Plutarcho enim *ὄθου- μένων εἰς τὸν ἀνδρῶνα* inest Taciteum „convivium irrumperent”). Ut autem possent milites *ἰσθῆσαι εἰς τὸν ἀνδρῶνα*, nimirum fores Palatii aperire vel effringere debebant, sed non opus erat hoc disertis verbis commemorare. Neque credibile „fores Palatii” habuisse aliquod nomen „proprium”.

Otho V Othonis milites molles et delicati erant, utpote otio et vita urbana corrupti; *ὑβρεῖ δὲ καὶ κόμπῳ ἐπαμπέχειν ἐβούλοντο* (sive, ut vult Sintenisius hiatus vitandi causa, *περιαμπέχειν*: ut ut est, obiectum est *τοῦτο* aliquod omisum: illam animorum corporumque conditionem, parum aptam militiae belloque) *προσποιήσασθαι τὰς λειτουργίας ὡς κρείττονες ἀπαξιοῦντες, οὐχ ὡς ἀδύνατοι φέρειν*. Quomodo nunc viri docti, ista legentes, verbum *προσποιήσασθαι* accipiant nescio, sed suspicor eos credere latine fere „ad se admittere i. e. suscipere” significare, id quod salvo sermone Graeco ex illo haudquaquam potest elici. Mihi est persuasissimum nihil aliud istud *προσποιήσασθαι* (quod et hic et ubique locorum significat simulare, neque aliud quidquam significare potest) esse quam verbi *ἐπαμπέχειν* (vel *περιαμπέχειν*) interpretamentum: „superbia et iactatione (vitia sua) obtegere conabantur, laborem militarem respuentes tamquam si, non ferendo impares, sed maiores essent (quam qui eos susciperent)”. A verbo *ἀπαξιοῦν* pendere

solet non infinitivus sed accusativus aliquis, cf. Thucydideum illud ἀπαξιούντων τὸ ἔργον.

Otho VII Annii Gallus opem Spurinnae laturus Placentiam proficiscitur, sed ubi pulsum inde a Spurinna Caecinam iam Cremonam oppugnare cognovit, eo iter vertit et prope hostes castra ponit, ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος στρατηγῶν. Sic, ut opinor, narravit Plutarchus: primus Annii Gallus (πρῶτον μὲν Ἄννιος Γάλλος), deinde ceteri quoque duces prope hostes et prope Cremonam posuerunt castra. Nam quod nunc legitur: ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος ἐβοήθει τῷ στρατηγῷ inepte repetitum est e praecedentibus Ἄννιος Γάλλος πρὸς Πλακεντίαν Σπουρίνα βοηθῶν, totamque perturbat narrationem. Etenim βοηθεῖν τῷ στρατηγῷ in hoc contextu nihil aliud significare potest quam: Spurinnae, *Placentiam* defendenti, opem ferre; at nobis iam res est cum *Cremona*.

Otho X Brixillum rediens Otho et alia peccavit et hoc quod τοὺς ἐρρωμενεστάτους καὶ προθυμοτάτους δι' αὐτὸν ἰππεῖς καὶ πεζοὺς ἀπαγαγὼν φυλακὴν τοῦ σώματος ὡςπερὶ τι σῶμα τῆς δυνάμεως ἀπέκοψε. Haud dubie σῶμα inepte e praecedentibus est repetitum. Ipsam vocem, quam Plutarchus dedit, non praesto, sed requiritur validi alicuius et pugnacis *membrum* mentio. Et ut omnis eximatur dubitatio quin in hac certe parte (omnino in Vitis saepe factum illud est) permagnus sit numerus locorum ita corruptorum ut vocabula aut a sua in textu sede aberraverint aut e margine in textum atque adeo in alienum textus locum irrepserint, tres hic addam dudum iam ab aliis ad eandem normam correctos. Quo maior enim hic affertur numerus eo firmior fit compages. Sunt autem tres illae emendationes certissimae, et duae earum summa propter inventoris acumen dignae admiratione.

Galba IV. Galba a Vindice invitatus ut in se recipiat imperium, cum amicis deliberat; ibi Vinii „quid deliberamus, ait: τὸ γὰρ ζητεῖν Νέρωνι εἰ πιστοὶ μενοῦμεν οὐκ ἤδη με-

νόντων ἐστὶ", ubi suo iure Sintenis Νέρωνι delendum statuit, quod non bene structam sententiam sed perturbationem quandam vocabulorum efficit et durissimum hiatus inducit.

Galba IX Nymphidius Romae per amicos viam sibi ad imperium parat et unum eorum εἰς Ἰβηρίαν ἔπεμψεν καὶ παρέρκει κατασκεψόμενον.

In ista farragine verborum quid lateret diu frustra est quaesitum, donec tandem aliquando Sintenisii ingenium simul ét historiam morbi perspiceret ét certam inveniret medelam. Scriptum olim fuerat: εἰς Ἰβηρίαν ἔπεμψεν καὶ κατασκεψόμενον et bonus aliquis criticus in margine annotaverat καὶ παρέρκει, sed parum profuit Plutarcho: tota enim annotatio, corrupta et ipsa, in textum recepta est! Quam vellem se talem semper Sintenisius praestitisset! Nam nunc Corai, Schaefero, Bryano aliis egregiis criticis obloquendo saepe Plutarchum nobis corruptissimum exhibuit atque omnino pro virili parte viam munivit ad illam ineptiarum defendendarum *methodum*(!), quae nunc tam imperiose regnat.

Otho XVI Otho fratris filium et alia monet et hoc: se ideo nondum eum adoptasse ἀλλ' ἀναβαλέσθαι μνημονεύειν ὅτι Καῖσαρ ἀθετεῖ τὴν εἰσποίησιν ut secum victore regnaret, non victo interiret. Nullus, ut opinor, scriptoris veteris locus tam ridicule corruptus est, nullus tam certa emendatione restitutus in integrum. Sequuntur enim haec notissima: „sed hoc prae ceteris te, mi fili, moneo μήτε ἐπιλαθέσθαι παντάπασιν μήτε ἄγαν μνημονεύειν ὅτι Καῖσαρα θεῖον ἔσχατος.” Hinc in praecedentia aberrarunt vocabula μνημονεύειν ὅτι Καῖσαρα, supervenit vir acutus qui istud μνημονεύειν ὅτι Καῖσαρα semel tantum ferri posse perspicuus annotaret: „exime (ἀθέτει) ista μ. δ. K.”, sed mutato verbi ἀθέτει accentu tota eius annotatio verbis insiticiis ultro est adiecta. Perspexit rem et Plutarcho salutem attulit Schaeferus. Scire pervelim quo modo hodierni docti „conservatores” lectionem traditam defendant. Nam

quin sint homines tam divina doctrina praediti ut vel ad illam longas possint conscribere annotationes non dubito.

Praeterea ad has vitas haec habeo quae annotem :

Galba I Romanum imperium, quod post Neronis mortem in multas partes divisum simul ex multis partibus iterum coiit in unum, perpersum dicit ὁμοια τοῖς λεγομένοις Τιτανικοῖς πάθεσι καὶ κινήμασι. Quem de Titanibus locum poeticum hic respiciat Plutarchus me latet.

Galba II Νυμφίδιος γὰρ Σαβίνος ὦν ἑπαρχος ὥσπερ εἴρηται κτέ. Ubinam iam antea de Nymphidio Plutarchus erat locutus?

ib. Nymphidius ergo tantam militibus pecuniam pollicitus est, quantam colligere non poterat, nisi multo pluribus quam Nero omnes mortales afficeret malis: τοῦτο γὰρ εὐθύς μὲν ἀπώλεσε Νέρωνα, μετ' ὀλίγον δὲ Γάλβαν. Τὸν μὲν γὰρ ὡς ληψόμενοι προήκαντο, τὸν δὲ μὴ λαμβάνοντες ἀπέκτειναν. Ut omnia bene decurrant, prius γὰρ in δέ mutandum est.

ib. τὰ μὲν οὖν καθ' ἕκαστα τῶν γιγνομένων ἀπαγγέλλειν ἀκριβῶς τῆς πραγματικῆς ἱστορίας ἐστίν. Immo τό.

Galba III Lutatius Catulus vir fuit qui virtute et fama aequalibus praestaret, εἰ καὶ τὸ δύνασθαι μᾶλλον ἐκῶν ἐτέροις παρῆκεν. Immo μεῖζον. Nisi hiatus vitandi causa Plutarchus a solito verborum ordine recessisset, dudum vitium illud esset observatum. Quis enim τὸ μᾶλλον δύνασθαι tulisset?

Galba IV Postquam enumeratae sunt causae quibus sibi provincialium amorem conciliavit Galba, sic pergit narratio: καὶ γὰρ ἦν ἤδη συνήθης ἔτος ὄγδοον ἐκεῖνο τὴν ἀρχὴν ἔχων ἐν ᾧ Ἰούνιος Οὐνδιξ ἐπανέστη Νέρωνι κτέ. Pergit, aio, narratio, ergo istud γὰρ eximendum est. Post καὶ aequo animo, opinor, hiatum tulit Plutarchus.

Galba V Vindicem Nero contemnebat, sed audito Galbam ab eo ad imperium vocatum vehementi terrore est percussus; paulo post scurrili ioco metum illum dissimulabat: οὐ φαύλην

ἔφη πρόρρησιν ἐμπεπτωκέναι λογισμοῦ δεομένῳ χρημάτων αὐτῷ:
 Galliam enim subactam sibi praedae fore, Galbae vero bona
 statim se venditurum. Ista πρόρρησιν λογισμοῦ non intelligo:
 expectem fere πρόφασιν χρηματισμοῦ.

Galba VII Mane ad Galbam Icelus Roma venit nuntians
 ὅτι καὶ ζῶντος ἔτι τοῦ Νέρωνος, οὐκ ὄντος δὲ Φανεροῦ, τὸ στρα-
 τευμα πρῶτον εἶτα ὁ δῆμος καὶ ἡ σύγκλητος αὐτοκράτορα τὸν
 Γάλβαν ἀναγορεύσειεν. Pro καὶ ζῶντος requiritur ζῶντος μὲν.
 Paulo post sequitur: hic nuntius Galbam clarum reddidit et
 ad fores eius accurrit multitudo hominum ἐκτεθαρρηκῶτων ὑπ'
 αὐτοῦ βεβαίως. A quonam? Ab Icelone? Tum: καίτοι τὸ τά-
 χος ἦν ἄπιστον. Ἄλλὰ καὶ δυσὶν ἡμέραις Οὐίνιος Τίτος πολλὰ
 τῶν ἀπὸ στρατοπέδου μεθ' ἐτέρων ἀφίκετο τὰ δόξαντα τῇ συ-
 κλήτῳ καθ' ἕκαστον ἀπαγγέλλων. Plura hic sunt turbata (certe
 corruptum est πολλὰ τῶν), sed universa sententia mihi qui-
 dem haec esse videtur: „tamen ipsa celeritas militibus pro-
 vincialibusque suspicionem iniicere debuerat: Romam enim
 qui ab eo missus erat ad rerum opinionumque statum ex-
 plorandum, Titus Vinus, iam tertio die aderat accuratum
 referens nuntium de senatus sententia.”

„Atque Vinus quidem ad honoratiorem militiae locum
 provehebatur: liberto annulum dedit aureum καὶ Μαρκιανὸς
 ὁ Ἰκελος ἤδη καλούμενος κτέ.” Libertum illum Icelum esse quis
 tam hebes qui non intelligat? Ergo hic ὁ Ἰκελος tollendum.

Galba X Metum etiam Galbae iniiciebat Virginius Rufus:
 nemo enim tanta erat fama quanta ille, ὡς μεγίστη ῥοπή τοῖς
 Ῥωμαίων πράγμασι τυραννίδος ὁμοῦ καὶ Γαλατικῶν πολέμων ἀπαλ-
 λαγὴ γενόμενος. Sic codices; pro μεγίστη ῥοπή Coraes prae-
 eunte Reiskio μεγίστη ῥοπή. Rectissime, sed minus recte pro
 ἀπαλλαγή dedit ἀπαλλαγή. Non enim persanatur locus nisi
 ἀπαλλαγεῖσι scribimus.

Galba XI Primo tempore bonorum omnium laudem meruit
 Galba simpliciter vivendo et rebus pretiosis quae ei e Ne-

ronis bonis afferebantur respuendis, sed mox Vinius ei persuasit ut illas acciperet et sumptibus regalibus ne parceret. Quo argumento? Nempe τὰ γενναῖα ταῦτα καὶ ἄτυφα καὶ πολιτικὰ δημαγωγίαν ἀποφαίνων. Egregia haec, sed additur καὶ κομψότητα μεγάλων ἀπαξιοῦσαν ἑαυτήν, ubi quid sibi κομψότητος commemoratio velit non video. Requiritur aliquid quod *nimiam verecundiam* significet.

Galba XV καὶ τότε παρόντες (sc. classarii illi quibus Nero militum dederat locum) ἐκβεβαιώσασθαι τὴν στρατείαν. Equidem et hic στρατιάν cum codicibus legendum censeo et reponendum στρατιᾶ apud Dionem 64, 3 (ad quem locum provocant qui nostro στρατείαν malunt). Sed praeterea hoc quoque mihi molestum est quod a παρόντες pendet infinitivus.

Galba XVII ὁ δὲ πρεσβύτης ἠδικεῖτο τὰ μὲν πρῶτα τοῦ Οὐίνιου κακῶς διοικοῦντος, ἃ δ' αὐτὸς ὀρθῶς προηρεῖτο διαβάλλοντος ἢ κωλύοντος. Vinii culpa non, ut opinor, *iniuriae* aliquid Galbae afferebat, sed *malae famae* sat multum. Lege ergo pro ἠδικεῖτο vel ἠδόξει vel aliud verbum quod eam vim habet cf. C. XVIII διαβολὴν εἶχε. Deinde utique istud πρῶτα eximendum, ut inter se τὰ μὲν et ἃ δὲ opponuntur: „hoc in invidiam inducebat senem quod Vinius alia male administrabat, alia, quae ipse bene instituerat, vel corrumpebat vel impediabat.”

Galba XIX Narratum est de Hordeonei Flacci, qui superiore stabat Germania, militibus tumultuantibus. Ceterum nunc sequitur: τοιοῦτα δὲ ἕτερα καὶ τῶν ὑπὸ Τιγελλίνω μάτων ὑβρίζοντων, ubi egregia est Mommseni emendatio τελλίῳ (pro Τιγελλίνῳ), quam nescio quo loco mihi hic pono ne abeat in oblivionem.

Galba XXI καὶ τὸ στρατιωτικὸν ἠδέως εἶχε τὴν ἀναγορευθῆναι. Mira constructio, et, ut opinor

Galba XXII Hordeonei milites Galbae imago et senatui populoque dicunt sacramentum,

κοῖς παρίστατο δεδοικέναι τὴν ἀναρχίαν ὡς ἀπόστασιν.
Nihili ista!

Galba XXIII Pisone a Galba adoptato, Otho τὸν Πεισῶνα δεδιῶς καὶ τὸν Γάλβαν προβαλλόμενος καὶ τῷ Οὐνίῳ χαλεπαίνων ἀπῆει πολλῶν παθῶν πλήρης. Quod hic Plutarchus Taciteum (H. I, 21) „in Galbam ira, in Pisonem invidia” mutat amplificatque aequi bonique consulimus. Sed quid isto προβαλλόμενος sibi velit obscurum est. An corrupta ea vox?

Galba XXV In forum cum descendisset Otho, paucitas exspectantium adeo eum terrebat ut actum de se clamaret et lecticam portantes incitaret: ἐξήκουον γὰρ ἔνιοι θαυμάζοντες μᾶλλον ἢ τπραττόμενοι διὰ τὴν ὀλιγότητα τῶν ἀποτετολμημένων. Neque verbum ἐξήκουον neque passivum ἀποτετολμημένων quid sibi velit video: ἐξακούειν nihil aliud est quam *audire posse*; fuisse autem in foro, qui illa eius verba possent auribus excipere, disertis verbis non sumus monendi.

ib. In castris praetoriis Othonem καθ' ἓνα καὶ δύο σποράδες ὑπὸ δέους τὸ πρῶτον, εἶτα πεισθέντες ἐπηκολούθησαν. Quonam eum sunt secuti? Iam enim *est* in castris. An ad tribunal?

Galba XXIX ὥστε τῇ δοξῇ μᾶλλον ἢ τῇ δυνάμει. Sequitur nunc locus adeo impeditus ut sic a Plutarcho scriptum non credam, sed neque sedem neque genus vitii video.

Otho I Otho senatoribus quos expulerat Nero, revocaverat Galba, reddidit ὅσα μὴ πεπραγμένα τῶν κτημάτων ἕκαστον ἐξεύρισκεν. Pro πεπραγμένα haud dubie requiritur quod „deteriores” habent πεπραγμένα: „quaecunque nondum venierant (nondum a privatis hominibus erant empta) sed (quatenus res mobiles erant) in publico aliquo asservabantur aedificio.” Sed quid nunc isto ἕκαστον (v. l. ἐκάστου) faciamus? Fraudis fuisse viris doctis nonnullis suspicor v. ἐξεύρισκεν, quod acceperint tamquam si diceretur de *re quae pretium inveniret*; sed hoc si voluisset Plutarchus, non ὅσα scripsisset verum ὅσον, neque

vero *ἐξεύρισκεν* sed *εὔρισκεν* (ὅσον *εὔρισκε* = ὅσον *ἤλφανε*). At *ἐξεύρισκειν* nunquam aliud quidquam potest significare quam: „certam aliquam rem in magna diversarum rerum copia investigare et invenire”, id quod egregie convenit in res illas, de quibus hic est sermo, eodem congestas; ibi suum quisque quaerere debebat senator et inventum recuperabat. Lege ergo *ἕκαστος*.

Otho II Ἐλελήθει (Tigellinus) μὲν γὰρ ἤδη *κολαζόμενος* αὐτῷ τῷ Φοβῷ τῆς *κολάσεως* — αὐτάς τε τὰς ... ἐν ... πόρναις ... *ἐγκυλινδήσεις* ... *ἐσχάτην* τιμωρίαν ἐποιοῦντο ... οἱ *σωφρονοῦντες*. Coraes illud αὐτάς dedit pro αὐτός (v. l. αὐτοῦ). Sed parum elegans ista repetitio: αὐτῷ τῷ Φόβῳ ... αὐτάς τε τὰς. Veram lectionem nondum inventam opinor.

Otho IV Praetorianorum tumultum modica poena coercuit Otho. Sequitur: ταῦτα οἱ μὲν ἀγαπῶντες ἤδη καὶ πιστεύοντες *ἐθκύμαζον* τὴν μεταβολήν. Aut confusa haec aut alio modo corrupta.

ib. Otho *ἔγραψεν* Οὐτελλίῳ στρατιωτικᾷ Φρονεῖν. Nihil istud, et si recte unquam quisquam verbis *στρατιωτικᾷ Φρονεῖν* utitur, dicit aliquid quod ab hoc loco est quam alienissimum. Aut enim nihil illa vocabula significant, aut „militares sumere animos”. Quam ergo absurdum, adhortari simul aliquem ut *militis* se nomine dignum praebeat, et ei luxuriae offerre instrumenta si a bello desistat! Plutarchum scripsisse censeo *συμβατικᾷ Φρονεῖν*; hoc illam habet *εἰρωνείαν* et irrisionem, qua opus hic est, et adiectivum *συμβατικός* Plutarcho est in deliciis. Flam. c. 5 s. f. Φιλίππῳ δσκοῦντι *συμβατικῶς* ἔχειν. Aem. Paul. 6 *διέδωκε λόγον Φιλάνθρωπον καὶ συμβατικόν*. Cam. 28 *ἐγίνοντο συμβατικοὶ λόγοι*.

ὁ δὲ Σπουρίνας *προσβιαζόμενος* αὐτοὺς (sc. milites illos urbanos, laborem detrectantes) *ἐκινδύνευε* μικρὸν ἐλθόντας ἀνελεῖν αὐτόν. Mire dictum *ἐκινδύνευσε* μικρὸν pro *παρὰ* μικρὸν *ἔφυγε* τό. Corruptum censeo.

Otho VI Vitelliani Othonianorum mollitiem increpantes ultro ad fortia eos facta incitant: οὕτω γὰρ ἐταράχθησαν ὑπὸ τούτων τῶν ὄνειδῶν καὶ διεκάζησαν κτέ. Convitia, ut opinor, non *perturbant* (i. e. metu implent), sed exasperant. Ergo pro ἐταράχθησαν legendum erit ἐχαράχθησαν. Amat Plutarchus vocabula tragica. Cogita hic de Euripideo illo: εἰ δὲ σὸς πόσις καινὰ λέχη σεβίζει (κοινὸν τὸδε) μὴ χράσσοι.

Ib. Valens molestus erat civitatibus Italiae, ad quas accedebat, et aliis rebus et quod „bracas indutus” (verba haec sunt Taciti H. II, 20) erat σημείοις καὶ ἄρχουσι Ῥωμαϊκοῖς διαλεγόμενος. Merito suspectum habet σημείοις Sintenisius, sed facilis est emendatio; nihil aliud enim ibi latet quam δήμοις. Sic suo more (δήμοις καὶ ἄρχουσι Ῥωμαϊκοῖς) Plutarchus Taciteum *togatos* amplificat.

Continuo sequitur: καὶ τὴν γυναῖκα παρέπεμπον αὐτῷ λογάδην ἱππεῖς ὄχουμένην Ἴππω κεκοσμένην ἐπιφανῶς. Etiam apud Tacitum post Caecinae bracas illas commemoratas continuo sequitur: „uxoremque eius Saloninam, quamquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur”

nam hic retinendam traditam lectionem *insignis*, non recipiendam Puteolani correctionem *insigni*, testimonio est Plutarchus, qui et ipse illam nobis traditam correctionem habuerit ante oculos: duabus rebus Saloninam oculos in se convertisse narrat, et quod equo vehebatur et quod purpura induta erat ipsa. Ipsius equi insignem ornatum vel praeclaram speciem neque Plutarchus commemorat neque Tacitus. Atque apud Plutarchum terminationem *νην* sequens vocalis ab omni mutandi conamine defendit.

Otho VIII Proelium differre Paulinus e re Othonis esse monet, utpote qui e Moesia et Pannonia magnas etiam possit exspectare copias, ἂν τὸν αὐτοῦ περιμένη καιρόν, ἀλλὰ μὴ στρατηγῇ πρὸς τὸν τῶν πολεμίων. Nihili istud; dele τόν, quod post πρὸς legitur, ut elegans obtineas dictum: στρατηγεῖν πρὸς

τῶν πολεμίων. Notius nihil Aristophanico illo μὴ πρὸς ἐμοῦ λέγοντι, sed ipsa vicinia nobis exemplum praebet non minus luculentum: τὴν διατριβὴν εἶναι πρὸς αὐτῶν.

Otho X Brixillum redit Otho καὶ τοῦτο προσεξαμαρτῶν, εὐχόμενος ὅτι τοῦτο μόνον τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ παρόντος αἰδῶ καὶ Φιλοτιμίαν ἀφεῖλε τῶν ἀγωνιζομένων ἀλλὰ καὶ κτέ. Corrupta, nec persanantur Reiskii coniectura secundum τοῦτο delentis. Plutarchum dedisse opinor: οὐ τοῦτο μόνον προσεξαμαρτῶν ὅτι τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς κτέ.

ib. Othoniani onerant navem pice et sulphure, quod dum fluvium traicit πνεῦμα προσπεσὼν ἄφνω τὴν παρεσκευασμένην ὕλην ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐξερρίπιζε. Transpone τὴν ἐπὶ τοὺς πολεμίους παρεσκευασμένην ὕλην: parata erat ea materies in hostes, ventus eam incensam in ipsos Othonianos vertit, qui sic cogebantur in aquam insilire.

Otho XII ἐκείνων δὲ τὴν προσαγόμευσιν οὐκ εὐμενῶς ἀμειψάμενων. Immo πρὸς τὴν προσαγόμευσιν.

Otho XIII Intellexerunt duces Othoniani, militum animis exploratis, pacis eos esse cupidos; ipse quoque Titianus legatos mitti ad Vitellianos iubebat; ergo ἔδοξε Κέλσῳ καὶ Γάλλῳ βαδίζειν. Immo Κέλσον καὶ Γάλλον: decretum est in illo consilio militari ut Celsus et Gallus ea legatione fungerentur.

Otho XV πιτεύσατε πολλάκις, ὅτι δύναμαι κάλλιον ἀποθανεῖν ἢ ἄρχεῖν. Verba haec Othonis ad circumstantes amicos traduntur. Sed neque verbum πιστεύσατε neque adverbium πολλάκις sanum videtur.

Otho XVII ἐκατέρου (sc. τῶν Ξιφῶν) κατεμάνθανε τὸ σπάσμα. Ultima vox corrupta, non enim *micronem* significare potest.

Otho XVIII τὰ μὲν οὖν ἄλλα καιρὸν εἰκεῖον ἔχει λεχθῆναι. Ergo in animo habebat Plutarchus subsecutas res exponere (Vitellii vita narranda). Sed aut periit vita illa aut Plutarchum antea mors oppressit.

CONSPECTUS CAPITUM.

	Pag.
CAPUT I. De Tacito Plutarchi in vitis Galbae et Othonis fonte	I
CAPUT II. Continuatur capitis I argumentum	6
CAPUT III. De Tacito historico	12
CAPUT IV. De locis Taciti propter unum vocabulum falsae interpretationi obnoxiiis	21
CAPUT V. De Taciti narrationibus obscuris incredibilibusque	30
CAPUT VI. Continuatur capitis III argumentum.	40
CAPUT VII. De popularibus quibusdam loquendi vitiis etiam apud Tacitum obviis	48
CAPUT VIII. De Taciti codicibus observatiunculae	55
CAPUT IX. De vocabulis quibusdam apud Tacitum vulgo male intellectis	66
CAPUT X. De locorum quorundam distinctionibus emendandis	85
CAPUT XI. De locis varias ob causas falsae interpretationi obnoxiiis	93
CAPUT XII. De Taciti narrationibus obscuris, turbatis, imperfectis	110
CAPUT XIII. De Taciti rhetore deque eius „fide historica”. .	130
CAPUT XIV. Ad sex priores Annalium libros annotationes variae	162
EPIMETRUM: <i>Constat et satis constat</i> cum infinitivo coniunctivove praeteriti	183

	Pag.
CAPUT XV. De „emblematum” apud Tacitum obviorem „externis” indicis.	187
CAPUT XVI. De „emblematis” quae ipsa se indicant . . .	194
CAPUT XVII. Loci Taciti expungendis quibusdam vocabulis emendantur	212
CAPUT XVIII. Ad sex Annalium libros posteriores annotationes variae	245
CAPUT XIX. Ad Historias annotationes variae	264
CAPUT XX. Ad Plutarchi vitas Galbae et Othonis.	290

CORRIGENDA.

In textu hi corrigantur numeri:

p. 40 linea 9 legatur 15 pro 101.
 p. 116 „ 22 „ 83 sq. „ Vol. XXX p. 346 sq.
 p. 118 „ 20 „ 116 sq. „ 84 sq.
 p. 183 „ 1 „ 163 et 170 pro 136 et 146.

INDEX VOCABULORUM NONNULLORUM QUAE
PAULO FUSIUS TRACTANTUR.

	Pag.
<i>Addere</i> (sententiae, codicillo simm.)	71, 231
<i>Adulteria</i> (insertum a legente)	191
<i>Aestiva</i> (castra)	116
<i>Agger</i> (viae)	78
<i>An</i> (<i>dubium an</i> affirmantis)	73, 213 ann.
<i>Appellere</i> (navem = dirigere n.)	122
<i>Attinere</i>	75 sqq.
<i>Auctor actorque</i>	278
<i>Aut</i> (non emphaticum)	69
<i>Chauci</i> (ubi habitarint T. obliviscitur)	118
<i>Compleri</i> (armis)	77
<i>Constat et satis constat</i> (structura)	163, 170 sq., 183 sqq.
<i>Consumptus, corruptus, contemptus</i> (confusa)	254
<i>Discordia</i> (opp. fides)	83 sq,
<i>Favor, favere</i>	72
<i>Ferax</i> (scelerum)	172
<i>Fides</i> (opp. discordia)	82 sq.
<i>Flagitium</i>	66 sq,
<i>Hiberna</i> (castra)	116
<i>Hortis inhians</i> (flosculus oratorius)	132
<i>Idem</i> („ironice“) positum)	45
<i>Imitari principem</i>	23
<i>Immensus</i>	155, 167
<i>Inrumpere</i> (quo sensu ponatur)	178
<i>Integra</i> (quies et simm.)	25
<i>Intellego</i>	17, 36
<i>Intendere</i> (= augere)	36 ann.
<i>Limes</i> (belli)	27
<i>Limes</i> (viae)	78
<i>Nam</i> (praeteritivum)	72
<i>Paelx</i>	81
<i>Referre</i> (structura)	228 sq.
<i>Remittere</i> (opp. intendere)	67 sqq.
<i>Resistere</i>	250
<i>Sine dubio</i> (concedentis)	70
<i>Speciem amicitiae retinere</i>	31
<i>Super fortunam</i> (= <i>καλύτερων τῆς τύχης</i>)	109
<i>Superlativi</i> usus liberior	64
<i>Tamen</i> (<i>ἤθιμάς</i>)	80
<i>Trahere</i> (verba <i>in deterius</i> simm.)	146 ann.
<i>Utque</i> (= et ne non)	70
<i>Vacuam arcem</i> tradere	26
<i>Vertere</i> (in ludibria, in offensam)	28

INDEX LOCORUM.

	Pag.		Pag.		Pag.
A. I, 1	161	A. III, 12	188	A. XI, 3	67
A. I, 4	24, 234 ann.	A. III, 25 sqq.	36 sqq.	A. XI, 4	218 sq.
A. I, 5	212 sqq.	A. III, 49	29	A. XI, 7	219 sq.
A. I, 6	163, 199	A. III, 64	74	A. XI, 9	60
A. I, 7	163	A. III, 67	169	A. XI, 10	245
A. I, 13	183	A. III, 74	27	A. XI, 12	199
A. I, 17	80	A. IV, 2	277	A. XI, 13	198
A. I, 19	53, 195	A. IV, 5	64 sq.	A. XI, 14	55
A. I, 22	164	A. IV, 6	170, 185	A. XI, 16	55 sq.
A. I, 32	165	A. IV, 11	171	A. XI, 18	56
A. I, 34	161	A. IV, 12	172	A. XI, 20	44, 56
A. I, 36	195	A. IV, 28	35	A. XI, 22	69
A. I, 38	214	A. IV, 35	172	A. XI, 26	221
A. I, 53	163	A. IV, 39	173	A. XI, 28	70
A. I, 55	215	A. IV, 45	174	A. XI, 31	42, 51 sq., 183
A. I, 56	216	A. IV, 48	69	A. XI, 33	245
A. I, 61	167	A. IV, 49	197	A. XI, 34	200, 246
A. I, 61	194	A. IV, 52	174	A. XI, 36	229
A. I, 66	216	A. IV, 58	175	A. XII, 15	221
A. I, 72	216 sq.	A. IV, 62	53, 176	A. XII, 17	184
A. I, 74	167	A. IV, 63	53	A. XII, 22	71, 200
A. I, 78	194	A. IV, 67	178	A. XII, 26	27 sq.
A. II, 12	195	A. IV, 74	163, 171, 185	A. XII, 33	189
A. II, 27	32 sqq.	A. V, 6	179	A. XII, 43	184
A. II, 28	196	A. V, 9	188	A. XII, 44	49
A. II, 30	196	A. V, 10	197, 206	A. XII, 47	56, 221
A. II, 40	34	A. VI, 2	229	A. XII, 51	222
A. II, 52	217 sq.	A. VI, 3	218	A. XII, 54	222
A. II, 54	196, 197	A. VI, 9	179	A. XII, 64	222, 247
A. II, 62	276	A. VI, 12	198	A. XII, 65	223
A. II, 67	184	A. VI, 15	180	A. XII, 66	247
A. II, 69	168	A. VI, 16	181	A. XII, 67	17, 190
A. II, 73	20, 184	A. VI, 18	181	A. XIII, 1	247
A. II, 81	188	A. VI, 22	182	A. XIII, 8	56
A. III, 1	80 sq., 184	A. VI, 24	54, 198	A. XIII, 10	200
A. III, 2	196	A. VI, 35	65	A. XIII, 14	189
A. III, 3	14, 197	A. VI, 40	287	A. XIII, 15	18, 248
A. III, 7	19	A. XI, 2	59 sq., 66	A. XIII, 16	184

	Pag.		Pag.		Pag.
A. XIII, 17	248	A. XVI, 6	230	H. II, 48	234 sq
A. XIII, 20	12	A. XVI, 10	230	H. II, 53	57, 246 ann.
A. XIII, 26	56 sq.	A. XVI, 17	71, 204, 230	H. II, 59	272
A. XIII, 34	223	A. XVI, 19	75 sq.	H. II, 60	272
A. XIII, 35	180, 190	A. XVI, 22	260	H. II, 63	207, 273
A. XIII, 37	74 ann.	A. XVI, 24	261	H. II, 64	273
A. XIII, 40	224	A. XVI, 28	262	H. II, 68	236
A. XIII, 43	201, 249	A. XVI, 30	231	H. II, 70	274
A. XIII, 48	57	A. XVI, 35	262	H. II, 74	274, 280 ann.
A. XIII, 51	201			H. II, 76	50, 275
A. XIII, 54	43, 225	H. I, 1	228	H. II, 78	207, 246 ann.
A. XIII, 57	250	H. I, 2	232	H. II, 81	286
A. XIV, 3 sqq.	15, 40 sqq.	H. I, 5	232	H. II, 82	275
A. XIV, 4	185	H. I, 13	264	H. II, 85	72
A. XIV, 6	250	H. I, 18	183	H. II, 87	276
A. XIV, 8	201	H. I, 21	299	H. II, 88	277
A. XIV, 9	251	H. I, 22	191	H. II, 91	44 sq.
A. XIV, 11	251	H. I, 23	204	H. II, 95	207
A. XIV, 20	225, 251	H. I, 27	6, 192	H. II, 98	187
A. XIV, 22	203	H. I, 30	233	H. II, 99	277
A. XIV, 27	202	H. I, 33	23, 61	H. III, 2	278
A. XIV, 29	253	H. I, 36	77	H. III, 10	46
A. XIV, 33	185	H. I, 37	266	H. III, 19	192
A. XIV, 35	202	H. I, 40	8	H. III, 20	187, 255
A. XIV, 38	225	H. I, 41	183	H. III, 23	208
A. XIV, 44	51	H. I, 42	61	H. III, 23, 25	78 sq.
A. XIV, 48	29	H. I, 44	62	H. III, 25	58, 236
A. XIV, 51	190	H. I, 49	198	H. III, 29	79, 183
A. XIV, 52	253	H. I, 50	267	H. III, 31	208
A. XIV, 54	226	H. I, 52	204	H. III, 39	236 sq.
A. XIV, 59	227	H. I, 58	267	H. III, 41	237, 278
A. XIV, 65	49	H. I, 64	268	H. III, 44	234 ann.
A. XV, 7	202	H. I, 73	233	H. III, 46	279
A. XV, 8	254	H. I, 74	3	H. III, 48	209
A. XV, 10	255	H. I, 80 sqq.	7	H. III, 49	209
A. XV, 16	185, 256	H. I, 81	78	H. III, 50	279
A. XV, 23	202	H. I, 82	178, 293	H. III, 51	58
A. XV, 25	202	H. I, 83	269	H. III, 56	280
A. XV, 38	256	H. I, 85	234	H. III, 58	282
A. XV, 40	203, 257	H. I, 85	205	H. III, 61	280
A. XV, 47	203	H. I, 87	205, 206	H. III, 63	47, 280 ann.
A. XV, 48	60 sq.	H. I, 89	74		281
A. XV, 50	30 sqq.	H. II, 1	205	H. III, 64	62 sq.
A. XV, 55	257	H. II, 2	270	H. III, 66	229, 282
A. XV, 57	254	H. II, 3	270	H. III, 67	238
A. XV, 59	57, 72, 258	H. II, 4	25	H. III, 69	58, 238 sq.
A. XV, 63	259	H. II, 7	229	H. III, 72	282
A. XV, 64	73	H. II, 16	271	H. III, 73	210
A. XV, 65	75, 227	H. II, 20	62, 206, 301	H. III, 74	234 ann.
A. XV, 67	185, 259	H. II, 23	206	H. III, 77	26
A. XV, 68	32	H. II, 28	206	H. III, 83	210, 283
A. XV, 69	229	H. II, 30	45	H. III, 84	211, 284
A. XV, 72	2 ann.	H. II, 32	271	H. IV, 7	58
A. XVI, 2	191, 229	H. II, 37	57	H. IV, 12	239 sq.
A. XVI, 5	185, 260	H. II, 46	234	H. IV, 12	272, 284

	Pag.		Pag.		Pag.
H. IV, 22	58 sq., 192	H. IV, 69	183	H. V, 17	64, 189, 243
H. IV, 32	48	H. IV, 79	39	H. V, 25	79 sq., 286
H. IV, 34	240 ann. 285	H. IV, 80	286	Agr. 13	183
H. IV, 36	240	H. IV, 81 sqq.	38	Agr. 38	185
H. IV, 38	52	H. IV, 83	214 ann.	Agr. 41	183
H. IV, 46	63	H. V, 3	242	Agr. 43	186
H. IV, 49	286	H. V, 4	287	Dial. 16	183
H. IV, 50	178	H. V, 5	287	Dial. 18	183
H. IV, 55	191	H. V, 14	288	Dial. 25	183
H. IV, 60	63 sq.	H. V, 15	242	Dial. 39	184
H. IV, 67	241	H. V, 16	288		







PA
6716
H32

**Stanford University Libraries
Stanford, California**

Return this book on or before date due.

